SICANI

(SEU SICULI)

REGES.

OPUSCULUM POSTHUMUM

FERDINANDI PATERNIONIS CATINENSIS

CASTIGATIONIBUS, ADNOTATIONIBUS,

ET

AUCTARIO EXORNATUM

A JOHANNE EVANGELISTA DE BLASIO

ET GAMBACURTA

ABBATE CASINENSI ET REGIO HISTORIOGRAPHO;

NEAPOLI MDCCXCII.

Typis JOSEPH MARIÆ PORCELLI Typographi, et Bibliopolæ
R. A. Militaris

PUBLICA AUCTORITATE.

Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat.

PERSIUS.

VINCENTIO IGNATIO
PATERNIONO CASTELLO
VI. BISCARIS PRINCIPI
JOHANNES EVANGELISTA DE BLASIO ET GAMBACURTA
S. P. D.

SI cui, Princeps excellentissime, FERDINANDI PATERNIONII de Sicanis Regibus opusculum, quod diu latuit, hodieque ducentis ferme post annis Neapoli e tenebris educitur, dicandum erat; is ipse tu eras, cui multis de causis illius patrocinium commendandum erat. Ferdinandus enim Catinæ ortus ex præclara Paternionum, cui præes, familia prodiit, Tuque perbrevis hujus Historiæ exemplar ejusdem Auctoris manu exaratum, quod ex latino idiomate in italum in Siciliam redux ipse verterat, in celebri tua Bibliotheca conservas, summaque diligentia custodis. Sed hisce rationibus & illa non levis accedebat, quæ Editorum animos vehementer permovit, ut te Mæce-

natem eligerent. Optabant ſiquidem Siculum Dynaſtam quærere, qui cum nobilitate generis ſingularem conjungeret in ſtudia amorem, eoſque qui ſcientias vel profitentur, vel publici juris facere conantur, benigne excipiat, munifice ſoveat, gratioſe adjuvet, quem in Te inveniſſe lætantur, qui ſi non unus, præcipuus facile inter noſtros Optimates viros reputaris. Tu enim Ignatii immortalis memoriæ Genitoris veſtigia ſecutus, domi tuæ Muſis manſionem paraſti, Litteratos ad eas colendas advocaſti, Typographicam Officinam inſtruxiſti, in qua eorum opera tuo ære ederentur, ut merito cuncti ſive Sicilienſes, ſive exteri beneficentiam tuam ad ſidera uſque extollant. Ego vero tanto magis Editorum votis adhærendum ratus ſum, quanto facilior mihi aditus patuit, ut poſſum veterem noſtram neceſſitudinem publice teſtari, & quanti virtutes quibus exornaris, dulciſſimique tui mores faciendi ſint, univerſo Litteratorum orbi palam facere atque aperire. Perge, ergo ut adſoles, Princeps ampliſſime ſcientiarum cultores ad ſtudia impellere, meque tibi jamdiu addictum eadem, qua conſueviſti, benevolentia proſequere. Deus optimus maximus te ſervet incolumem. Vale.

Scribebam Panormi Idibus Juliis anno 1792.

JO-

JOHANNIS EVANGELISTÆ DE BLASIO

MONITUM AD LECTOREM.

EN tibi, benevole Lector, opusculum exhibeo, quod ex privatis meis eduxi Pluteis, quodque diu in diversis Siciliæ Bibliothecis jacuit blattarum, tinearumque ludibrio permissum. Ejus Auctor XV. vixit seculo, illudque dum Matriti morabatur, exaravit. Etsi compluribus scateat mendis, haud dubito quin non exiguam mereatur laudem, quod ea ætate sit scriptum, qua rari admodum erant, qui latinum callerent idioma, quodque perbrevem Regum nostrorum, qui Siciliæ dominati sunt, adferat historiam, iis maxime percommodam, qui Siculas res cupiunt addiscere, neque in evolvendis ingentibus scriptorum nostrorum voluminibus sudare, et algere adamant. Ne vero illud illotum, et mancum tibi sisteretur, curavi, ut castigationibus quibusdam meis errores corrigerentur, adnotationibusque quæ digna lectu erant, adderentur. Optandum insuper erat, ut reliqua, quæ Reges nostros spectant a Philippo II. in quo desinit Paternonius, usque ad Ferdinandum III. cujus sub Imperio feliciter vivimus, publicæ mandarentur luci. Id quoque laboris insumendum mihi esse arbitratus sum, et propterea Auctarium addidi, quo reliqua Siculorum Principum gesta ad nostra usque tempora, eadem ab auctore usitata methodo, enarrarentur. Hæc erant, de quibus te monitum volui. Tu ea, qua ornaris, benignitate, vigilias hasce meas æqui, bonique facias rogo. Vale.

ELO:

6

ELOGIUM
FERDINANDI PATERNIONIS
EX BIBLIOTHECA SICULA
CANONICI
ANTONINI MONGITORE

Tom. I. pag. 196. 197.

FErdinandus Paternionus nobilis Catanensis Societatis Jesu; Patritia ortus familia anno 1540. fuit ex Catanensibus primus, qui Societati nomen dedit, in qua solemnia emisit vota 25. Martii 1579. Editis ingenii, ac prudentiæ argumentis a Jacobo Laynez secundo Societatis Præposito Generali Romam accersitus est, ut gravioribus disciplinis operam navaret. Hinc a Francisco Toledo, inde S. R. E. Cardinali, Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam accepit: et ne dum his instructissimus evasit, verum etiam Mathematicis disciplinis insigniter excultus claruit. Virtutes etiam coluit egregias, et in gravissimis rebus agendis mirabili excelluit dexteritate. Nonnulla obivit clara Ordinis munia. Panormi collegium, et domum Professorum Rectoris, et Præpositi munere rexit. Siculæ Provinciæ Procurator Romam petiit anno 1587. ut magni ponderis negotia ejusdem Provinciæ pertractaret. Nonnullas legationes felici exitu, ac summo honore perfecit. Siciliæ nomine ad Philippum II. Hispaniarum Regem Orator missus est, apud quem ejus eloquentia, ac ingenium effulsere, ideoque Regius Concionator electus a Rege, et a Regina uxore a confessionibus suis constitutus. Ibi cum moras protraheret heroicarum virtutum odore, ac mirabilis eloquentiæ vi B. Aloysium Gonzagam ad Societatem traxit. Ab ejusdem Regis munificentia obtinuit, ut Abbatia D. Mariæ a Crypta, olim Ordinis S. Basilii, Collegio Panormitano Soc. Jesu, cui Rector præerat, perpetuo

petuo adjungeretur (a): Primarias sibi oblatas dignitates constanti pectore recusavit. Joannes de la Cerda Medinacæli Dux, qui Siciliam pro Rege moderabatur, ut filios suos erudiret, spe Episcopatus, Ferdinandum allicere cogitavit, sed frustra. Mulieris cujusdam insidias, quæ ad fœdandam ejus pudicitiam, confessionis prætextu, Ferdinandum advocaverat, fuga declinavit. Monasterium mulierum Catanæ piis civium eleemosynis excitatum promovit, in quo mulieres, e peccati cœno erutæ, alerentur. Indefesso labore Ecclesiastem egit, nec a concionibus negotiorum frequentia ipsius animum removere valuit: et tunc concionibus finem imposuit, cum vitam meritis, ac honoribus plenam absolvit Catanæ 7. Februarii 1604. Hujus viri laudes scripsere Virgilius Ceparius *in vita B. Aloysii Gonzagæ par. 1. cap. 7.* Petrus Ribadeneira *in vita ejusdem*, Hieronymus Regius *de appetitione Episcopatus pag. 44.* Rochus Pirrus *Not. Eccl. Catan. pag. 82. et 95.* Joannes Bap. de Grossis *in decachordo Catan. tom. 1. cord. 2. modul. 13. pag. 165. et modul. 15. pag. 179. et tom. 2. cord. 9. pag. 252.* Laurentius Finichiaro *in vita P. Bernardi Colnagi lib. 1. cap. 4. pag. 28.* Joannes Nadasi *in anno dier. memorab. 6. Febr. pag. 76. et 26. Martii pag. 169.* et Dominicus Stanislaus Albertus *in hist. Sicul. Soc. Jesu par. 1. lib. 6. cap. 9. pag. 625.* Scripsit Italice (b).

Vitæ

(a) *Abbatia hæc satis locuples Regis nostri Ferdinandi III. Diplomate nunc insigni Constantiniano Ordini adnexa est.*

(b) *Diu incertus hæsi, num Paternonius compendium hocce vitarum Regum Siciliæ Latine, ut apud me erat, an Italice, ut Carreræ, et Pirro placuerat, conscripserit: sed omnem mihi scrupulum ademit Vincentius Paternonius Castello Princeps Biscaris vir summopere eruditus, qui in excolendis scientiis, atque in litteraria Republica exaugenda non modo Ignatium Patrem apud doctos celebrem æquat, sed, si vera fari velimus, longe exsuperat. Is vero in quodam Epistolio ad me misso, Catinæ III. Idus Decembris anno 1787. conscripto monet Opusculum Ferdinandi Paternonii, quod Carrera apud Bartholomæum Paternonium servari asserit, quodque italum est, apud se esse, et in sua Bibliotheca custodiri, quod ipsum esse Ferdinandi autographum ex antiquitate chartæ, et characterum, qui rubri, et nigri sunt, sed præcipue ex diversis lituris, quæ passim occurrunt, facile detegitur. Non hinc tamen consequitur, Ferdinandum principio perbreves illas vitas italice conscripsisse, cum in proœ-*

Vite de' Rè di Sicilia da Reggiero primo Normanno sino a Filippo II. d'Austria m. s. ex Petro Carrera *vol.* 1. *memor. hist. Catanæ lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 230. *vol.* 2. *pag.* 333. ubi ait, quod a Bartholomæo Paternione servabatur. Has etiam citat *pag.* 337. *et* 362. De hoc opere etiam Pirrus *cit. pag.* 95. de Grossis *cit. tom.* 1. *pag.* 165. *et tom.* 2. *pag.* 55. *et* 117. ubi aliqua ejus fragmenta exscribit. Nunc observantur Catanæ ab Innocentio Roccaforte Panormitano, Canonico Catanense. Scripsit etiam

De Regia Sicula Monarchia. Italice

Vita di S. Teresa scritta dal P. Francesco Ribera tradotta dalla lingua Spagnuola nell' Italiana.

AU-

---

proœmio italicæ hujus versionis is ipse testetur se primo latine exarasse, ait enim: Vò anche che tu intenda, c' avendo scritto queste stesse cose in lingua latina, ho voluto di nuovo a prieghi di alcuni, che quella non intendono, farle italiane. Nel che m' ho voluto servire della licenza c' ho di proprio Autore, anzichè di traduttore, attacandomi al senso più, che alle parole, aggiungendo, e levando come alle volte è stato bisogno per ispiegar bene, e con più chiarezza il mio concetto. *Constat itaque has vitas primum latine fuisse conscriptas, deinde ab ipso auctore in italicum sermonem fuisse translatas. Si vero quæras quo anno latinas has vitas fecerit, quove italicas reddiderit, scias latinas fuisse conscriptas Matriti anno* 1585. *legitur enim in fine mss. quod possideo*: Matriti XXIII. Septembris anno MDLXXXV. Laus Deo, et Matri, *earum vero versionem in italicum sermonem undecim annis posteriorem esse, nam in mss. Principis Biscaris sic concluditur*: In Reggio a 10. d' Ottobre 1596. *tametsi ejus proœmium, ut doctus hic vir in memorato Epistolio animadvertit, sit ad annum insequentem referendum, in eo enim sic scribit Auctor*: Di casa d' Austria finalmente sono stati sin quì due Rè di Sicilia, Carlo V. Imperatore il quale regnò anni quarantadue, e Filippo il quale pur oggi vive, ed in questo stesso anno ch' io scrivo queste cose, ch' è il MDXCVII. fa trentotto anni, c' ha in mano lo scettro reale. *Ex quibus conjicias, latinum exemplar Matriti, italum vero Rhegii (fortasse in Calabria) fuisse conscriptum.*

AUCTORIS

PROOEMIUM AD LECTOREM.

SIciliæ (1) Reges scripturis inde nobis ducendum duximus esse principium, unde certa, ac ab omni mendacii fuco aliena magis videntur esse. Nam si vetustissima quæque persequamur, fabularum involvemur figmentis, vel in eam auctorum variam incidemus sententiam, ut divinare potius, quam quæ vera sint, ex eorum possimus sancire monumentis. Verum si quæ de Encelado (2) a Virgilio sunt tradita, sive Typhœo, ut eum Ovidius vocat, ejusque fratribus Joviali fulmine dejectis; Cyclope (3) Lestrigone Polyphemo, Antiphate ejus fratre, Scylla, Charybdi (4), Alpheo Fluvio, Arethusæ, et Cyanæ fontibus, ceteraque Poetarum figmenta in medium proferamus, non secus ac qui habitati orbis confinia excedunt, ad incognitas, easque vastissimas regiones deferemur, atque hinc inde maris fluctibus agitati ad optatum veritatis portum appellemus numquam. Ceterum si quæ a priscis auctoribus (5) de primis Siciliæ Regibus traduntur, inter se conferamus, ita suspensum hæsitantemque tenebunt legentium animum, ut quem sequantur potius, nullis argumentis, indiciis nullis duci possint, eumque vera magis protulisse putabunt, quem sibi sequendum pro animi sententia maxime fingent (*a*).

 Quod

(a) *Indulgentiores, quam par est, Scriptori huic concedimus, primævas*

Quod si ad ea descendamus secula, quæ Reges, quos describendos suscipimus, paulo ante fluxerunt, vel temporis injuria, quæ scriptæ sunt historiæ periere, vel ita variis belli eventibus agitabantur incolæ, varios atque varios experti victores Romanos, Græcos, Gothos, Pœnos, Sarracenos, Orientisque Imperatores, ut animum ad scribendum applicare nequiverint (*b*). Hinc fit, ut pauca ad nos sint transmissa, et ea quidem mutila, intercisa, ac proinde etiam incerta, fideique non admodum consentanea.

His igitur missis illud in primis te monitum velim, Reges omnes, quos brevi hoc compendio tradimus, ex quinque prodiisse familiis, Nordmanna, Sveva, Angioina, Aragonia, et Austriaca (*c*). Nordmanna

---

mævas Siciliæ ætates fabulis, incertisque traditionibus fuisse involutas; tametsi præter Poetas, Justinus, Plinius, Strabo, Polybius, Thucydides, et Diodorus noster nonnulla nobis reliquerint, de quorum veritate subdubitari nequit. Ast cum ventum est ad Græcos, non adeo in obscuro manemus, ut suspensus hæreat animus. Scimus enim quæ Græcorum Coloniæ in Siciliam habitaturæ perrexerint, quas urbes construxerint, quove regimine instituerint. Tyrannorum nomina, qui diversis in civitatibus dominabantur, eorumque gesta haud ignoramus: bella denique, ut cetera omittamus, quæ adversus Syracusas gesta ab Atheniensibus sunt, et subsidia a Lacedæmoniis, et Corinthiis huic urbi, Siciliæ tunc facile principi, subministrata, Historicorum, quos nuper laudavimus, et Plutarchi quoque, Æliani, Laertii, aliorumque testimonio edidicimus.

(b) *Nimis confidenter Paternonius ea, quæ Romanos, Græcos; Pœnos, Gothos, Sarracenos in re Sicula respiciunt, pauca esse, mutila, intercisa, et incerta jactat. Nihil certe in universa Sicula historia plenius, luculentius, et integrius reperitur, quod sit cum iis, quæ apud nos per Carthaginienses, Romanos, Græcos, Sarracenos gesta sunt, comparandum. Quod si quandoque in aliqua incerta, aut ignota incurras, quando tempora Romanorum, Pœnorum, Græcorum, Sarracenorum vestigas; nonne quæ de Regibus nostris posteritatis memoriæ mandata fuere ejusmodi sunt, ut singula quæque vel minima eorum ætate peracta referantur, an suas etiam admittunt lacunas? Hoc enim historicorum vitium est, ut permulta omittant, vel quod ea ignorent, vel quod diligenter non inquirant, vel tandem, quod velut inutilia aspernentur.*

(c) *Nostrum erit, cum mutilum hoc opus usque ad Caroli III. regnum protrahemus, de familiis Borbonica, Sabauda, et Austriaca stirpis Viennensis verba facere.*

næ Reges septem, qui CXXXV. annis Siciliæ Regnum sunt moderati, protulit. Quatuor Sveva, qui annos LXXVI. dominati sunt. Angioina vero tantum unum, qui annis XIII. Regia in Siculos usus est potetate. Ex Aragonia tredecim sunt orti, qui Siculis annos plus minus CCXXVIII. præfuere. Ex Austriaca tandem duo, Carolus V. Cæsar, qui annis regnavit XLII. et Philippus, qui vivens adhuc, hoc nempe eodem, quo hæc scripsimus *anno MDXCVII. Regni sceptra XXXVIII. tenet annos* (*d*). Quare, si recte supputemus, annorum numerus, quibus Reges hi vigintiseptem in Sicilia præfuere, DXXXIII. complet. Quamvis enim Rogerius anno fere a Virgineo Partu MLX. in Siciliam trajecerit, quinque prioribus annis, qui ad hunc numerum deesse videntur, non est rerum adeo potitus, ut ipsius imperio illos adscribamus. Verum quando hæc jam præfati sumus, quo tibi instituti nostri rationem aperiremus, ad rem ipsam, initium sumentes a Rogerio, aggrediamur oportet. Tu vero, qualisqualis labor iste noster fuerit, æqui, bonique consule. Vale.

AD-

(d) *Hæc certe emendata a Vito de Amico sunt ad fidem versionis italicæ, nam in autographo Matriti scripto legendum erat:* anno MDLXXXV. Regni Sceptra XXVII. tenet annos, *quod non fuit ab hoc exscriptore animadversum, qui non attendit in fine opusculi legi Matriti XXIII. Septembris anno MDLXXXV. Quod si velis opus Matriti sine proœmio fuisse exaratum, proœmium vero post undecim annos Rhegii fuisse superadditum, victas dabo manus, tametsi incongruum videatur, et nisi prævia demonstratione ut id mihi persuadeam, non inducar.*

ADNOTATIONES AUCTORIS IN PROŒMIO.

1. Siciliam dici volunt aliqui a *Sedelire* (*a*) quod idem est ac *secare*. Peninsulam enim olim fuisse, et continenti ad agrum Brutium adnexam, æstuque maris abscissam, et a scissura locum, in quo deinde civitas nominis ejusdem, hoc est Rhegium est exstructa, Diodorus noster, Strabo, Justinus Trogi abbreviator, ceterique auctores constanter asseverant. Quam alii a ficu, et olea, quæ græce Σῦκος, Σῦκόν καὶ ἐλαία sive ἐλάα dicuntur, quarum insula sit feracissima, appellatam existimant. At quod puto verius, Diodorus, Dyctis, Phylistus, Thucydides a Siculis Italiæ populis, qui illam aliquando occuparant, Siciliam vocatam autumant. Dicta est autem primo Sicania a Sicanis Iberiæ populis a Sicori Fluvio nomen sortitis, qui post Cyclopes, ac Lestrigones eam tenuere, ut Dycti, ac Thucydidi placet. Etsi alii a Sicano, et Siculo Regibus, Neptuni filiis sic denominatam fabulantur. Cum antea Trinacria a tribus angulis, hoc est promontoriis, Peloro, Lylibæo, et Pachyno, sive Triquetra a triangulari forma diceretur. Videtur autem Sicilia, quasi trium orbis partium, tribus ipsis, in quas dividitur, vallibus habere confinium. Vallis enim Nemorum, seu Dæmonum, ut alii propter ignea loca appellant, Europam vicinitate, ac nemoribus sequitur. Vallis Mazzariæ palmosa est, qualis Africa, quam spectat; Vallis vero Noti saxosa, et similis Asiæ, ad quam vergit.

2. Nota est Enceladi fabula. Siciliæ autem sic ille subjacere fingitur, ut ipsius dextera sub Peloro, læva sub Pachyno, crura sub Lylibæo promontoriis, caputque sub Ætnæo jugo premantur. Hinc eructare flammas ore, motuque lassi corporis tremefieri Regionem fabulantur.

3. Fuisse


(a) *Cujus idiomatis vocabulum hoc* Sedelire *sit, et qui verbo secare respondeat, nec Paternonius edocet, nec nobis compertum est; nec græcum enim est, nec latinum, nec quantum sapimus, linguæ alterius, nec quempiam Scriptorem de Rebus Siculis pertractantem invenimus, qui hanc etymologiam Siciliæ addixerit: nisi mavis errorem irrepsisse, et* Sicilire *potius legendum putes.*

3. Fuisse Cyclopem, ac Lestrigonem Neptuni filios scribit Dyctis, ex quibus Polyphemus, qui Acim (a quo dictum est oppidulum juxta Catanam urbem) ob Galateæ, quam amabat, zelotypiam saxo oppressit, et Antiphates, qui Formiis regnavit, et a quibus multa passus est Ulysses, ut Poetæ sunt ementiti.


4. Alphæi, et Arethusæ nulli non cognita fabula, sicut et ea, qua post Plutonis raptum, Proserpinam apud inferos visam Cereri Arethusam nunciasse, et Cyanæ raptæ cingulum ostendisse refertur.

5. Diodoro Siculo, Thucydide, Pausania, Phylisto, Timæo, Antiocho Syracusano, Justino, Paulo Orosio, Blondo, ceterisque.

DE


Sarnus
Tancredus
Rogerius
Bossus
Goti-
fredus

(1) *Quantum a verisimilitudine abludat fictitia hæc G*
ostendimus in prima adnotatione (a) ad arborem genealogicam
rum, mox vero falsam esse nullo negotio demonstrabimus.



DE ROGERIO NORMANNO

NOMINIS HUJUS I. SICILIÆ REGE. (1)

NOrdmannam gentem e Septentrionalibus oris suum duxisse principium, vel ex ipso constat nomine. *Nord* enim patria Septentrionalium lingua Septentrionem, *Nam* vero virum significare auctor est Beda venerabilis, ac non minus sanctitate, quam doctrina conspicuus in Anglicæ Historiæ lib. 2. cap. 5. Quo circa Nordmanni Septentrionales homines, si vocis etymon spectes, dici recte, et vere possunt, et Nordmanna Septentrionalis Regio (2). Ceterum hi Danis erant finitimi, Natio idolorum cultrix a Gothis orti, Gothi vero a Magog Japheti filio. Nordmanni Cymbricam Chersonesum, quæ Dania, seu Dacia dicitur, occuparunt. Inde Lutrocus Daniæ Rex Bergostam filium secundo loco genitum cum exercitu, cui Rollo præerat, ad novas sibi quærendas sedes misit anno Servatoris DCCCLXXX. Qui oceano delati, ac per Sequanæ (3) fluminis ostia ingressi Neustriam occuparunt, orasque finitimas populantes Carolum cognomento Simplicem XXVI. Francorum Regem eo compulere, ut Rolloni Christianam fidem anno salutis nongentesimo duodecimo suscipienti Gillam, sive Egidiam filiam matrimonio copularet, Neustria dotis nomine concessa, quam Nordmanniam vocare deinceps placuit. Rollo vero sacro fonte expiatus Robertus appellatus est. Ex hac quinta generatione ortus est Tancredus, (a) ex quo Rogerius. Rollo siquidem ex Gilla Guillelmum suscepit; hic Riccardum genuit, qui ob egregia militiæ facinora contra Lotharium Francorum Regem Illustris dictus est; cujus duo filii, Guillelmus ab Arnulpho Flandriæ Principe oppressus, et Riccardus, qui Nordmannia hereditario jure potitus est, uxore plebeja genuit tres filios, Riccardum, Robertum, et Guillelmum, ac totidem filias. Riccardo absque liberis defuncto successit Robertus frater, et huic Guillelmus natu minimus, qui Angliam, Haroldo Rege perempto, invasit, ac optimis legibus, quibus Angli ad hanc usque diem nitun-

C

(1) *Quantum a verisimilitudine abludat fictitia hæc Genesis, jam ostendimus in prima adnotatione (a) ad arborem genealogicam Normannorum, mox vero falsam esse nullo negotio demonstrabimus.*

nituntur, instituit. Huic successit Tancredus filius Altavillæ comes, (*b*) vir fortis bello, ac venatu assuetus, cui, cum duas sibi copulasset uxores, ex prima Moriella nomine octo orti sunt filii, Sarnus, Gotifredus, Drogo, Tancredus, Malogerius, Alberodus, Gotifredus alter, et Frumentinus (*c*); ex altera vero, quæ Fresenda est dicta, Guillelmus, qui ob corporis robur ingens Ferrabrachius est appellatus, Robertus Guiscardus (*d*) ab astutia dictus, Umfredus, et Rogerius, is, de quo loquimur, cui ob belli peritiam, militaremque ferociam Bosso cognomen est inditum. Quæ Genesis testimonio Regiorum Diplomatum (4), quæ in Siculorum conservantur Archivis, confirmatur.

Tancredus igitur rei familiaris inopia (*e*) patriis sedibus expulsus, filiorumque magnanimitate confisus in Italiam Berengaris, Hunnorumque præliis maxime labefactatam Sergio IV. Pont. Max. circa annum Domini MIX. descendit (*f*) ubi magnis animi, et corporis viri-

(b) *Guillelmus, qui Angliam occupavit, non alios superstites reliquit filios, nisi tres, Robertum Guillelmum, et Henricum, atque in Normandiæ Ducatu primogenitum Robertum heredem declaravit.* Laissa, *inquit David* Hume (Histoire d'Angleterre in appendice 1. T. 11. pag. 191.) la Normandie, et le Maine a son fils ainé Robert. *Quid ergo successorem Tancredum fingit Paternonius?*

(c) *Consule secundam adnotationem ad arborem genealogicam Normannorum, in qua ex Malaterra veros filios Moriellæ, et Fresendæ adsignavimus.*

(d) *Gotofridus Malaterra inter filios Fresendæ primogenitum Robertum Guiscardum nominat (cap. IV. lib. 1. Hist.) et Guillelmo tertium locum assignat.* Primus, *inquit*, Robertus Guiscardus postea totius Apuliæ Princeps, et Calabriæ Dux, vir magni consilii, ingenii, largitatis, et audaciæ, secundus Malgerius, tertius Guillelmus.

(e) *En alterum argumentum, unde patet Tancredum in Normanniæ principatu non successisse: qui enim rei familiaris inopiam passus dicitur, qui Normanniæ heres fuerat? Nec ullo innititur fundamento eundem a propriis sedibus fuisse expulsum: nemo enim scriptorum ejus ætatis Normannos contra proprium Ducem arma sumpsisse, atque ab imperio eundem exturbasse refert.*

(f) *Tancredum in Italiam cum filiis confugisse, ignotum factum est, et ad fabulas amandandum. Malaterra enim* (Hist. Sic. lib. 1. cap.

viribus, cum multa præclara gessissent filii, Apulia tandem, Calabria quasi tota, Capuano Principatu, et Salernitano potiti sunt. Inter hos vero omnes Rogerius etsi ætate minimus, virtute tamen maximus emicuit.

Hujus nominis fama permoti Siculi, ac præsertim Messanenses aliquot, inter quos Ansaldus a Pactis, Nicolaus Camulius, et Jacobus Saccanus (*g*) ipsum ad se (5) e Sarracenorum jugo liberandos invitant. His accedit, et Becumeni Sarraceni persuasio, qui Catanæ tum Dominus, et Regium, ut vocant, Amirantem agens Belcharis Siciliæ Præsidis, ac Sultani judicium metuens, quod Bemmenelerum primarium virum zelotypiæ caussa trucidarit, Rogerio Siciliam prodere statuerat. Is ergo fratrum (*h*) auxilio milite compa-

 rato

cap. 5.) *eundem cum uxore ad ultimam senectutem in villa Altavillæ vixisse asserit, ejusque filios ideo patria digressos testatur, quod mortuis parentibus altercationes circa hereditatem orituras prævideriut, quæ tametsi pari consensu divideretur, adhuc quælibet cujusque portio haud sufficiens singulis evasura esset, et propterea refert eos, qui adultiore erant ætate, patrios Lares reliquisse, ut militari disciplina, qua pollebant, sibi lucrum quærerent. Ceterum Normanni in Italia ante annum* 1016. *visi non sunt, primi enim eo anno sub peregrinationis prætextu adparuerunt.*

(g) *Hanc suæ Patriæ honorificam narrationem Messanenses omnes, nemine excepto, expansis ulnis amplectuntur, Bonsilius, Samperius, Maurolycus, ceterique, nec ex aliis Siculis defuere, qui eidem subscripserint, quas inter satis erit unicum Fazellum nominare. Nos vero, tacentibus Leone Ostiensi, Guillelmo Appulo, et quod magis ad rem facit, Gotofrido Malaterra, qui synchroni fuere scriptores, haud possumus calculum nostrum addere historiæ, quæ non alium habet auctorem, nisi anonymum, cujus incerta ætas est, qui Opusculum conscripsit a Baluzio primo vulgatum, deinde a Muratorio* T. VI. Rerum Italicarum *noviter editum, cui titulus*: Brevis historia liberationis Messanæ a Saracenorum Dominatione per Comitem Rogerium Normannum factæ, a Messanensibus coactum. *Plura sane suadent brevem hanc historiam apocrypham esse, cujus rei probationes adferre brevis adnotationis limites non sinunt.*

(h) *Triplex Rogerii trajectus in Siciliam memoratur, primus quando Siciliam exploratum cum sexaginta militibus venit* (*Malat.* lib. II. cap. I.) *alter cum Becumeni consilio centum sexaginta milites secum ducens*

rato in Siciliam anno ab orbe reparato MLIX. (*i*) trajiciens, ac annis duodecim, seu, ut Fazello placet, viginti septem strenue pugnans, Insulam totam sibi, posterisque suis bellico jure est adeptus. Modestiæ vero gratia Regis nomen, quamdiu vixit, abhorruit, Comesque dici voluit. Cumque duas sibi copulasset uxores, primam Erembnrgam nomine, Roberti Sanctæ Eufemiæ Comitis sororem, et post hanc (6) Adelasiam Bonifacii Marchionis filiam, binos ex singulis suscepit filios, Gotefredum, ac Jordanum (7) ex prima, quibus supervixit Pater, Simonem, et Rogerium ex altera, quos et superstites reliquit. Anno siquidem ætatis suæ septuagesimo, multis pie, et præclare in Sicilia gestis, Meliti die VIII. Julii, salutis vero nostræ anno MCI. Regni autem XXXVII. occubuit (quinque enim priores annos, cum adhuc rerum non esset adeo potitus, ejus imperio adscribendos non censemus) sub Paschalis II. Pont. Max. Pontificatu. Usus est vir pius in clypeo, ac vexillis omnibus, publicisque litteris hisce Prophetæ verbis, quibus Deo rerum bonorumque omnium auctori quidquid gloriæ fuerat assecutus, acceptum referebat: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me*, quæque in hanc usque diem in ejus Diplomatibus legere est, et quibus, qui post eum præfuere Nordmanni Reges, veluti hereditario jure sunt etiam usi; quod parva militum manu contra Sarracenos multitudine longe superiores juxta Troynam (8) Divo Georgio albo equo, alboque item amictu rubra cruce insignito (qui inter Equites ipsos Nordmannos strenue pugnans, ac splendidissimo lumine circumfusus apparuit (*k*)) præeunte superior evaserit.

Huic,

---

ducens Pharum transiens Mylas versus perrexit; tertius tandem, cum adscitis tercentum militibus, fratre Roberto Guiscardo Regii manente, cum potenti manu armigerorum, Messanam aggressus cepit, ejusque claves ad Germanam misit. In primo nemo ex suis cognatis nominatur, in secundo solus Serlo nepos ex fratre, in postremo copias a Roberto Guiscardo recepisse scimus, sed secum præter Serlonem alium ex suis duxisse ignoramus.

(i) *Forte primum tentamen anno* 1059. *factum est, sed secundum et tertium ad sequentem annum* 1060. *referendum, a quo ad annum* 1072. *quo vere Rogerius totius Siciliæ habenas suscepit, duodecim fluunt anni.*

(k) *Divi Georgii apparitio Malaterram auctorem habet* (lib. 11. cap.

Huic, et Simoni ejus filio, vel heredi ejusdem alteri ab Urbano hujus nominis II. Pont. Max. ut Apostolici Legati munere in Sicilia fungerentur, est concessum, ut ex Privilegio Salerni dato constat, quo Pontifex ad Rogerium salutandum Roma se contulerat (*l*) cum antea, anno scilicet a Christo nato 1089. in Siciliam ad eundem, dum Buteram obsideret, tanti viri fama permotus Troynam (9) trajecisset (*m*); atque hinc est, ut Siciliæ Reges hoc quoque jus, quod *Monarchiam* appellant, sibi vendicent. Pontifex autem in hæc verba locutus est. (10).

„ Urbanus Episcopus servus servorum Dei charissimo filio Roge-
„ rio Comiti Calabriæ, et Siciliæ salutem, et Apostolicam benedi-
„ ctionem. Quia propter prudentiam tuam supernæ majestatis di-
„ gnatio te multis triumphis et honoribus exaltavit, et probitas tua
„ in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, et
„ Sanctæ Sedi Apostolicæ devotam se multimodis semper exhibuit,
„ nos in specialem, atque charissimum filium ejusdem universalis
„ Ma-

---

cap. 33.) *nam vero difficili hac ætate, qua vel signum a magni Constantini exercitu visum, et tot synchronorum Scriptorum testimonio innixum in dubium verti solet, qui se Philosophi vocari amant, eandem vere accidisse concedant, divinare non audemus.*

(l) *Urbanus II. non Roma Salernum ad salutandum Rogerium venit, sed a Beneventana Civitate ad eum visendum, priusquam in Siciliam se restitueret, perrexit. Jam enim eundem Capuæ inviserat, cum eo pervenit, ut inter Apuliæ Ducem, ejusque civitatis incolas exardescens bellum extingueret, sperans Comitis officiis pacem obtinere: nec eum spes fefellit, Comes enim, Duxque ejus nepos litem ab ipso Pontifice sententiam ferente finiri concesserunt, sed obduratis Capuanorum cordibus, armis locus, eodem Urbano permittente, datus est, quousque dicti incolæ facti pœnitentes Riccardum legitimum Principem agnoverunt. Acta hæc sunt anno* 1098.

(m) *Urbanus Constantinopolim ad celebrandam Synodum ab Augusto Alexio vocatus, ut definiretur, utrum posset, quemadmodum Latini consueverant, in azymo Christi corpus consecrari, an in solo fermentato, ut Græci contendebant: quamvis ob rumores Romæ a Guiberto Antipapa excitatos ab hoc itinere abstinuerit, atque in Urbem redierit. An vero hic Pontifex consulto Troynam venerit, ut Rogerium agnosceret, an casu eo pertigerit, difficulter definitur.*

„ Matris Ecclesiæ te assumpsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promissimus, ita litterarum auctoritate firmamus, quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui heres extiterit, nullum in Terra potestatis vestræ præter voluntatem, aut consilium vestrum Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimmo quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam Legati vice exhiberi volumus, quando ad vos de latere nostro mitteremus ad salutem Sanctarum Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate consistunt, et ad honorem B. Petri, Sanctæque ejus Sedis Apostolicæ, cui devote hactenus obedisti, quamque in necessitatibus suis strenue, ac fideliter adjuvisti. Si vero celebrabitur Concilium, et tibi mandavero, quatenus Episcopos, Abbates tuæ terræ mihi mittas, quot, et quos volueris mihi mittas, alios vero ad servitium Ecclesiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigit, et te a peccatis absolutum in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Joannis Sanctæ Rom. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis tertio nonas Julii indict. 7. anno Pontificatus nostri undecimo (*n*).

Hactenus Urbanus. Quid autem illi Rogerio his litteris concesserit, et an ejus successoribus in perpetuum omnibus, vel uni tantum, meum non est examinare, neque ad instituti nostri rationem pertinet. Aliorum est judicium, qui Jurisprudentiam cum pietate con-

(n) *Tertio Nonas Julii anni* 1098. *quo Pontificium hoc diploma datum est, non septima, sed sexta currebat Indictio; ac propterea corrigendus Malaterra, et cum eo Paternonius, qui septimam indicant, nisi finxeris cum P. Alexandro Meo* (Apparato Cronol. agli Annali del Regno di Napoli) *Malaterram a sequenti Septembris mense annos inchoasse, adeoque Julium anni* 1098. *esse Julium communis anni* 1099. *cui VII. bene respondet Indict. Non nostra hic interest Baronii systema confutare, qui Tom. VI. Annalium falsum esse decantatum hoc privilegium, atque Malaterræ aliena manu assutum contendit, nec vanos ostendere Clementis XI. hoc ineunte seculo conatus, ut* Monarchiam *quam vocamus, seu ejus Tribunal in Sicilia aboleret. Innumera sunt volumina hac de re agentia, quæ a nostris conscripta sunt, et præ ceteris opusculum illud, quod tanti faciunt nonnulli, quod Ellies Dupinius sub hoc titulo,* Defence de la Monarchie de Sicile, *exaravit.*

conjunctam tenent (o). Nunc ad narrationem nostram revertamur.

Fuisse perhibetur (11) Rogerius aspectu pulcher, statura grandis, facundia, consilio, viribusque præditus, militaris disciplinæ gnarus, placidus, exorabilis, munificus, pietate in Deum divosque insignis. Sacerdotes, ac Religiosos viros coluit semper, et veneratus est. Et ut verum fatear, quod vivunt Siculi, quod Christiani sunt, quod Ædes sacras habent, easque toto orbi spectandas, quod Episcopos veritatis magistros, quodque pace tandem fruantur, ab uno Rogerio velint, nolint (volunt autem, et gaudent) habere se dicant necesse est (p).

AD-

(o) *Perpetuum hoc privilegium fuisse, nec solum Rogerio, et Simoni, sed ceteris eorum in Regno heredibus fuisse concessum apertissima res est, quæ ex verbis ipsis diplomatis, et ex constanti possessione, nunquam reclamantibus Romanis Pontificibus, evidentissime deducitur. Nos vero haud intelligimus, quam ob rem Reges Siciliæ tandiu curaverint hoc privilegium sartum tectum conservare, quod si attente perlegas, nihil eis concedit, quod vi regalium jurium ad eos non pertineat, quodque ceteri Monarchæ ob sibi insitum in Regna dominium non sibi vindicent. Immo vero pejorem futuram Regum Siciliæ conditionem contendimus, qui ea Papæ concessione exercerent, quibus reliqui Reges absoluta potestate defunguntur.*

(p) *Hæc vera sunt, si quæ de Sarracenorum tyrannide, deque cruciatibus, quibus Christianos opprimebant, certis fundamentis innituntur. At non adeo sævi in Siculos, ut vulgo creditur, Agareni fuere, Christianam eos profiteri Religionem passi sunt, suosque Episcopos, et Ædes sacras habere, quamvis Mahumedana dominante Religione, Catholica humilis, et obscura remanserit. Hæc jam a Johanne de Johanne in Dissertationibus ad Codicem Diplomaticum demonstrata sunt, et modo per Codicem Arabum e Bibliotheca Monasterii S. Martini de Scalis erutum, atque in vulgarem italam cura Alphonsi Airoldi, Regiæ Monarchiæ Judicis a peritissimo Joseph Vella translatum, evidentius patefacta sunt. Laudandus vero Rogerius, quod Religionem Christianam triumphare curaverit, quod splendidissima Templa construxerit, atque divitiis cumulaverit, quodque Episcopales Ecclesias erexerit, vel restituerit.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Neque Rogerius, neque Simon, qui illi successit, Regio se decorari titulo passi sunt. At nos Regem appellamus utrumque, utpote Corona meritissimos, et quibus ad Regium decus, et splendore nihil defuerit.

2. Ex Joanne Curopolate auctore Græco, quem Franciscus Maurolycus lib. 3. Sican. rer. secutus est, et Thomas Fazellus Dec. 2. lib. 6. qui tamen Mogogem eorum parentem negat.

3. Auctor est Olaus Magnus in sua *de Gentibus Septentrionalibus* Hist. lib. 11. cap. 9. in Sequanam ad duo passuum millia novos per terram tractus invexisse. Ceterum ut refert Illescas in suo *Pontificali Hist.* t. 1. in Sergio II. (qui cum diceretur *os porci*, primus ex Pontificibus aliud adsumendi nomen morem induxit (*a*)) Nordmanni, dum Lotharius Imperator Ludovicus, et Carolus germani fratres mutuis se regnandi libidine præliis dilacerarent, in Galliam trajecere anno salutis nostræ circiter 844. Verum enim vero in Joanne VIII. docet Nordmannos a Carolo Crasso (in quo uno Caroli Magni soboles defecit ut idem in Stephano V. scribit) anno 882. a Christo nato bello superatos hac lege Neustriam ab eo obtinuisse, ut Christianam fidem admitterent. Ipsorum autem Ducem nomine Rollonem minime appellat, sed Gotifredum, idque circa an., ut dixi, 882. in quem Joannes supradictus incidit, cujus tamen rei quem sequatur auctorem ignoro.

4. Ut

(a) *Una hæc est ex tot fabulis, quas Martinus Polonus venditavit, nec enim verosimile est hominem Christianum, ut adnotat Guillelmus Burius* (Rom. Pont. brevis notitia in Sergio II.) *vili hoc nomine in sacro baptismate fuisse nuncupatum. Ceterum primus inter Pontifices, qui nomen immutaverit, fertur a laudato Burio fuisse Hadrianus III. qui Agapetus vocabatur, quem deinde sequuti sunt usum Stephanus VI. qui Basilius, et Joannes XII. qui Octavianus dicebatur. Vere autem ab hoc Joanne hunc morem in Romanis Pontificibus invectum rentur Benedictini Congr. S. Mauri* (Art. de verifier les dates in Joanne XII.)

4. Ut videre est in Privilegio, quo Monasterium S. Michaelis Throynensis erexit, et dotavit Rogerius, et in alio Rogerii filii diplomate anno salut. 1182. (*b*).

5. Invaserant enim Sarraceni Siciliam, Michaele (qui ob linguæ vitium Balbus dictus est) Constantinopoli imperante (*c*) anno salutis ferme 812. quam postea triginta fere supra ducentos annos cum maximo Christianorum dedecore tenuerunt. Auctor est Fazellus lib. 6. dec. posterioris.

6. Hæc apud Pactas anno salutis 1118. moritur, ibique in Templo Maximo tumulatur, ubi et sepulcrum ejus hucusque visitur. Quamquam Maurolycus lib. 3. non Adelasiam, sed Meteldam Raymundi Provinciæ Comitis ex Joanne Curopolate vocat. Ejus autem mortis caussam fuisse refert Fazellus *lib. 7. poster. dec. cap.* 3. quod cum Balduinus Jerusalem Rex eam post Rogerii obitum, vivente adhuc Eleonora uxore prima, ex qua duos susceperat filios, et quam repudiatam vulgarat, et mortuam, Arnulpho Jerosolymorum Patriarcha sceleris conscio auctore, sibi in uxorem copulasset (quod ejus opibus, quas vivente Rogerio marito ex Sarracenorum manubiis fama erat sibi coacervasse, inhiaret potius, quam matrimoniali connubio) triennio tandem lapso febri correptus, religione tactus, et facinoris pertæsus, priore uxore accepta, Adelasiam, ejus ære consumpto, ac pudore violato, in Siciliam lacrymabili sane specta-

D culo

(b) *Diplomata Regia, et quæ hic proferuntur privilegia Monasterio S. Michaelis Troynensis concessa ostendent equidem, qui fuerint Rogerii Bossi fratres, sed a quanam ex uxoribus Tancredi nati fuerint non indicabunt, quod necessum esset, ut Genesis a Paternonio statuta vera esse demonstraretur.*

(c) *Errat hic Auctor, cum Sarracenorum invasionem, quam imperante Michaele Balbo accidisse recte contendit, collocat anno* 812. *Michael enim Augustus imperio potitus est anno* 820. *octo nempe annis postquam Paternonius Sarracenos adserit in hanc Insulam fuisse ingressos. Eorum vero accessus (illum intelligo, quo pedem apud nos firmiter fixerunt) imperante quidem Michaele Balbo, sed anno* 827. *constituendus est, quod ex brevi chronico Cantabrigensi apud Carusium* (Bibl. Hist. T. I.) *fit palam, ubi ad annum mundi* 6335. *qui anno Christi* 827. *respondet, legitur:* hoc anno venerunt Mosthemii in Siciliam medio mensis Julii, *et ex Martiniano Arabo Codice, qui sub prælo exstat, qui ad idem tempus illum refert.*

culo, nulla ex ea suscepta prole, remiserit; ex qua ignomia tanto animi dolore (ut par erat) est confecta, ut paulo post e vivis excesserit (d).

7. Hic dum Pater in Apulia Roberti fratris nomine præfectura utitur (e), Mistrectam, et Sanctum Marcum Siciliæ oppida aggressus a Patre defecit. Sed tandem amicorum intercessione in gratiam rediit. Maurolycus tamen, et Fr. Simon de Leontino in *Hist. mss. cap.* 24. quam ego vidi Panormi, Jordanum hunc non ex Edemburga, sed ex concubina editum docet. Tum Patre Romam liberandi Pontificis Gregorii gratia (f) quem in carcerem Henricus Imperator truserat, profecto, oppida prædicta expugnasse.

8. Idem Frater Simon de Leontino in *Hist. manuscripta* citata, Fazellus, et alii. Hæc porro F. Simonis Historia ex Gaufrido Malaterra congesta est.

9. Seu Buteram, ut vult Maurolycus lib. 3. et hoc quidem obiter dum Constantinopolim ad Synodum contra Græcos cogendam pergeret, quamquam tamen Italiæ seditionibus a proposito revocatus Romam, re infecta, redierit.

10. Meminit quoque hujus Diplomatis præter Fazellum, et alios, Hieronymus Surita *Annal. lib.* 3. *cap.* 68.

11. Hoc Rogerio regnante Ansgerius Catanensis Episcopus Templum Maximum Divæ Agathæ sacrum a fundamentis ædificavit anno 1092. pro ut marmoreæ tabulæ inscriptione Templi parietibus affixæ constat.

DE

(d) *Rogerius II. adeo in Crucesignatos ob hanc matri illatam injuriam indignatus est, ut subsidia, quæ antehac subministrare eisdem consueverat, in posterum denegaverit, eisque in Palæstinam per Siciliam transitum præcluserit, quod belli sacri expeditionem nonnihil præpedivit.*

(e) *Robertus fratrem Rogerium Comitem in Apuliam traxit, non ut ei ipsius Provinciæ præfecturam traderet, sed ut cum eo consilia iniret, quemadmodum esset bellum adversus Henricum Augustum movendum.*

(f) *Post Jordani defectionem Comes Rogerius in Sicilia mansit, nec cum Roberto Romam ad liberandum Gregorium VII. Pontificem profectus est. Liberatio autem hujus Papæ Jordani rebellionem subsecuta est, non præcessit, ut Paternonio visum est. Jordanus enim Patris oppida occupavit anno* 1083. *Papa a Roberto Guiscardo liberatus fuit insequenti anno* 1084. *ut constat ex Cardin. de Stragona in Vita Gregorii VII. aliisque synchronis Scriptoribus.*

DE SIMONE

SICILIÆ REGE.

ROgerio vita functo Simon ex Adelasia uxore filius natu major Siciliæ Regno, ac Calabriæ Principatui succedit, qui graves ab Apulis seditiones perpessus tandem, prole nulla relicta, brevi rerum potitus excessit. Volunt aliqui illum quinque, vel sex annis regnasse (a).

(a) *Nemo censeat Simonem uxorem habuisse, vel ad adultam generandi ætatem pervenisse, octennis enim a Patre relictus, tres, quatuorve regnavit annos. Id ostendit diploma Rogerii Fratris sui pro S. Margaritæ Ecclesia a Pirro (Sic. Sac. lib. III.) relatum, quod has habet notas:* Anno salutis 1108. consulatus junioris Rogerii anno tertio. *Mortuus ergo Simon anno* 1105. *vel* 1106. *quumque anno* 1093. *natus fuerit, moriens annum duodecimum vix expleverat, ut consideranti patet.*

DE ROGERIO II.

SICILIÆ REGE.

POst Simonis obitum Rogerius (1) ejus frater hereditario jure ad Siciliam regendam anno a partu Virginis MCVI. Paschale II. Pont. Max. est assumptus, qui paternis virtutibus immensam animi magnitudinem, ac subtiliorem in acquirendis exteris Regionibus artem adjunxit. Africam enim bello tentavit, ubi rebus prospere gestis Tripolim, Aphrodisium, Siphacium, Capsiumque oppida expugnavit, Tunetorumque Regem bello superatum tributarium deinceps habuit. Is idem (a) in Syria contra Sarracenos pro Ludovico VII. hujus nominis Francorum Rege, in Græcia adversus Emmanuelem Imperatorem, ac Venetos terra marique, multa ut Pandulfus scribit, feliciter gessit. Nam Corcyram, Corinthum, Thebas, et Eubœam expugnatas insulas diripuit. Inde debellatis Sarracenis Ludovicum ab eis receptum victor Joppen usque ab interitu liberum deduxit (b). Reversus suburbia Byzantii populatus est, et in Siciliam

(a) *Quamquam Rogerius Rex exercitus in Orientem miserit, eum tamen in Syria contra Sarracenos, et pro Ludovico Francorum Rege pugnasse, numquam audivimus. Emmanuelem utique Comnenum Constantinopolis Principem aggressus fuit, non ut latinos Principes crucesignatos adjuvaret, sed ut injuriam sibi illatam, sive a Joanne Comneno, qui conventionem ab ejus Legato secum factam ratam habere noluit, sive ab Emmanuele ejus successore, de quo fertur Regios Oratores carceri mancipasse. Non me præterit Maurolycum ita scripsisse* Rer. Sic. l. III. *cujus verba Paternonius exscribit, atque Pandulphum (verosimiliter Collenutium) veluti testem citasse.*

(b) *Ludovicus VII. cum ad acquisitionem Terræ Sanctæ cum potenti exercitu perrexisset, atque sese Conradi Imperatoris copiis conjunxisset, ut Damascum aggrederetur, re male cedente, vere sequenti in Galliam regredi cogitavit. Nihil pro eo tunc egit Rogerius. Tantum eum infelix hic Princeps ad sua Regna pergens, incidisset in classem Græcorum, a quibus velut hostis captus est, forte fortuna a navibus Siculis Rogerii, quæ e Constantinopoli, ubi Imperiales hortos devastaverant, in Siciliam redibant, (victis Græcis) libertatem obtinuit, et in Cala-*

liam rediens in Græcam Venetæ (quæ Emmanueli Imperatori auxiliaris missa fuerat) conjunctam classem incidens, adverso, ac cruento marte, una de viginti amissis triremibus, non tamen illæsis hostibus, dimicavit (c).

Primus exstitit, qui Comitis titulum aspernatus, tum Italiæ, (qua nota (2) ex Boemundi, ac Rogerii Roberti Guiscardi patrui filiorum contentione occasionem nactus prælio fuerat potitus (d)) tum Siciliæ Rex, adversante Romano Pontifice Callixto II. nec non Honorio item II. qui illi successit (e) est appellatus, et Panormi anno a reparata generis humani salute MCXXIX. (f) idibus Maji Regni corona ab Andrea Caravello, cujus in hanc usque diem superest soboles, est insignitus (g). Quem postea Anacletus Papa (3) Innocentio II. jure Pontifice, Regem utriusque Siciliæ cis, et ultra Pharum dici voluit.

Elvi-

Calabriam, ubi tunc Rogerius erat, perductus, honorifice susceptus ab eo est, et donis cumulatus a turma militum Montem usque Casinum deductus.

(c) *In conflictu navali Græcos inter, et Siculos non novemdecim, sed quadraginta ex Siculis triremibus disjectæ fuerunt, ceteræque triginta sex (erant enim sex et septuaginta) Constantinopolim venerunt, atque postquam milites fructus ex hortis imperialibus collegerunt, et in Palatium Cæsareum inaurata missilia earum Sagittarii jecerunt, in Siciliam reversæ sunt.*

(d) *Italia, ut cuique patet, non Calabriam, et Apuliam, quæ minimæ ejus partes sunt, amplectitur, sed latissime extenditur ab Alpibus ad mare mediterraneum; Rogerius vero præter nominatas Provincias, Salernitanum, et Capuanum Principatum, et si mavis Ducatum Neapolitanum, nihil praeterea possedit. Italiæ Regis titulum ipse, ejusque successores in diplomatibus nihilominus assumpserunt.*

(e) *Nec Callixtus, nec Honorius adversati Rogerio sunt, ne diademate cingeretur; non enim hac de re cogitavit, nisi sub Innocentio II. Salerni habito Magnatum, et Ecclesiasticorum consilio anno* 1130. *Maurolycum errantem Paternonius sequutus est.*

(f) *Nec annus, nec dies Rogerii coronationi respondet, nam certa res est, eundem regiam Coronam recepisse die* 25. *Decembris anni* 1130.

(g) *Caravellorum insignis vere Sicula familia adhuc apud nos superest,*

Elviram Alfonsi Castellæ Regis filiam duxit uxorem, ex qua tres suscepit filios, Rogerium Apuliæ Ducem, Arnafusum Capuæ, et Guillelmum Tarenti Principem (is autem ipse est Guillelmus, qui ob multa mala, quibus affecit Siculos, *Mali* cognomen est assecutus, ut paulo post a nobis explicabitur), unicamque filiam nomine Constantiam, quam in sacrosancto Servatoris Cœnobio Panormi educari, ac virginitate votiva, sacroque velo amiciri statuit, quo fatidicum Joachimi Abbatis præsagium declinaret. Is enim ex Italia in Siciliam a Rege rerum prænoscendarum cupiditate incenso accersitus, ex Constantia filia si nupsisset funestam Italiæ facem exorituram præsagiit (*h*). Sed dum decreto fatidico occurrere studuit, in illud incidit invitus. Hæc enim illa est Constantia, quæ a virgineo claustro Pontificia auctoritate educta (*i*) Henrico Imperatori hujus nominis V. (*k*) nupsit, de quibus postea dicendum.

Hic, mortuis interea Rogerio, et Arnafuso duobus majoribus natu Filiis, ac Guillelmo minimo Regni consorte ascito, immensis ultra vires attritus laboribus, Panormi demum (4) Eugenio III. Pont. Max. die Februarii 26. salutis nostræ anno MCLIV. ætatis vero suæ LIX. fato concessit, ibique in Templo maximo tumulatus est, Guillelmo, Constantia (*l*), ac Tancredo spurio (quamvis alii ex Rogerio filio (*m*) nepotem illi adscribant) superstitibus. Regnavit autem

---

perest, sed nescio, num quis eorum diademate Rogerium cinxerit, quem scimus ex Falcando (in Chron. *ad an.* 1130.) *e manibus Roberti Principis Capuæ illud recepisse.*

(h) *Joachimi divinatio, velamen monasticum, et virginitatis votum a Constantia factum gerræ sunt germanæ. Id ex eo maxime constat, quod ea posthuma Rogerii Regis fuerit post ejus mortem nata.*

(i) *Ut fabulam sapit Constantiæ religiosa professio in Monasterio SS. Salvatoris, ita ejusdem furfuris est dispensatio, quæ fertur concessa a Lucio III. Rom. Pont. per quam a votis monasticis atque adeo a virginitate servanda solvebatur. Nec enim inter suppares eidem ætati scriptores ullus exstitit, qui nænias ejusmodi retulerit.*

(k) *Corrige VI. ut suo loco constabit.*

(l) *Constantia non adhuc, ut diximus, nata erat.*

(m) *Modo corrigit Paternonius errorem, in quem fuerat lapsus; etsi ex aliorum judicio, non ex suo, Tancredum nepotem Rogerii dicat.*

tem annis XXIII. (5) Vir nervosi, ac robusti corporis, statura ingenti, vultu leonino, voce rauca, palam severus, privatim humanus, industrius ad lucrum, barbaris formidabilis, justitiæ custos, Templorum fundator piissimus, ingenio promptus, et ad ardua quæcumque numquam diffidens. Utebatur autem, dum viveret, gemino hoc Epitheto,

Rogerius in Christo pius, potens Rex, et Christianorum adjutor.

Altero, quod ensi conscriptum habuisse testantur aliqui,

Appulus, et Calaber, Siculus mihi servit, et Afer.

AD-

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Sub hujus Imperio D. Agathæ corpus anno sal. 1126. Indict. 4. Honorio II. Pont. Max. Gisberti Galli, et Golesini Calabri opera Catanam translatum est ex Byzantio, quo Maniachus, ne, dum Siciliam Barbari occupant, eorum ludibriis exponeretur, una cum S. Luciæ reliquiis miserat. Auctor est Mauritius Catanensis Episcopus in Epistola de translatione S. Agathæ. Habetur in codice ms. Catanæ in Æde sacra omnium maxima. Hic quoque Rogerius Templum Salvatori dicatum Cephaledi extruxit anno 1141.

2. Hic nota, Italiam totam Siciliæ aliquando fuisse subjectam (a).

3. An Conrado nominis hujus III. a quo Gibellini (quod Imperator, cujus partes contra Innocentium sectabantur, in pago quodam, cui Gibel erat nomen, sit natus), sicut et a duce Guelpho, qui Pontifici favebat, Guelphi sunt dicti alterius factionis homines, qui tot, ac tantas excitarunt in Italia tragœdias. Sic docet Illescas in Inn. II. quamvis non me lateat horum originem alios alio transtulisse. Atque hic idem ille Innocentius est, qui bello victus, ac una cum Cardinalibus aliquot a Guillelmo (b) Rogerii filio juxta Castrum Gallucium, in quo obsidebat Rogerium, captus, sed libertate a Rogerio donatus in tanti beneficii memoriam Urbem Neapolim, quæ usque ad id temporis Græcis Imperatoribus paruerat, cum reliqua terra, quam Laboris dicunt, Apuliæ, et Calabriæ ad fretum usque

(a) *Nec Rogerio, nec Siciliæ, ut ostendimus, integra Italia fuit subjecta, nisi mavis Italiam dicere eam ejus partem, quæ a Græcis, Sarracenis, Langobardis, et Normannis, cis Romanæ Ecclesiæ ditionem, occupata est, quam a nemine sic vocari vidimus. Hæc autem Rogerio, non Siciliæ subdebatur.*

(b) *Rogerius, non Guillelmus, vocabatur filius Regis Rogerii, qui missus a Patre fuerat, ut Pontificis receptum impediret. Erat hic primogenitus, et Patri præmortuus est anno* 1149. *ex Romualdo Salernitano in* Chronico. *Cui successit Anfusus in Ducatu Apuliæ, quo mortuo, vivente etiam Patre, Guillelmus, qui tertio natus erat, Dux Apuliæ renunciatus fuit, et deinde a Patre, biennio antequam moreretur, in societatem Regni assumptus.*

usque Siculum præter Regium titulum illi concessit (*c*), licet sint qui etiam et titulum hunc non Italiæ, sed Siciliæ, Ducatus Calabriæ et Apuliæ, nec non Principatus Capuæ ab eodem tunc promeruisse asserant. Indicto tamen Regi annuo censu, quem in hunc usque diem Neapolis, Siciliæque Reges, Romanis Pontificibus pendunt (*d*).

4. Vel si Maurolyco credimus, qui annos 24. regnasse Rogerium scribit, annoque salutis 1167. defunctum (*e*) Alexandro III.

 5. Sic

(c) *Si ex Falcone Benev. Inn. concessit Rogerio quæcumque hic periit* (In Chron.), *Regis etiam titulum, qui cordi ei præ ceteris erat, elargitus est*.

(d) *Vetusta hæc fuit Romanæ Curiæ opinio, utriusque nempe Siciliæ Regna vectigalia Apostolicæ Sedis esse, ut quæ donationibus Constantini, Pipini, Caroli Magni, aliorumque Imperatorum ad directum ejus dominium pertineret. Haud difficile Paternonio fuit hunc deglutire bolum, qui ea tempestate vixit, qua donationes istiusmodi audacter velut veræ venditabantur. Errorem certe, in quem incidit, deposuisset, si ad nostram hanc ætatem pervenisset, qua pluribus prælo datis libris evidenter ostensum est, censum, quem quotannis Serenissimi Siciliæ utriusque Reges Sanctæ Romanæ Sedi persolvunt, non esse nisi donum, quo suam erga S. Petrum Apostolorum Principem devotionem testantur. Nostri instituti haud est rationes adducere, quibus ostenditur Neapolitanum Regnum a dominio Sedis Apostolicæ fuisse ab ævo exemptum, cum tot eximii ejus Nationis viri elapsis nuper annis Regis jura vindicaverint. Quod ad nostrum spectat Siciliæ Regnum, confidenter contendimus, etiamsi decantatæ donationes in dubium verti non possent (quod omnino negamus), Siciliam nuspiam sub dominatu Romanæ Ecclesiæ fuisse, nec esse potuisse, cum nusquam eamdem obtinuerint Principes, a quibus fingitur fuisse donatam, si Constantinum excipias, cujus concessionem apocrypham vel ipsi saniores inter Romanos eruditi profitentur. Quod quidem a nobis in Historia Civili, quæ propediem evulgabitur, fusius exponetur*.

(e) *Rogerium vita functum anno* 1154. *res est apertissima, quæ non modo refertur a synchronis Scriptoribus, sed ex innumeris etiam Guillelmi diplomatibus constat, qui ab anno hoc* 1154. *solus semper Siciliæ Rex dicitur, ut miremur Maurolycum in tam crassum incidere potuisse errorem, quem amanuensibus, vel librariis libenter adscribimus.*

Sub

5. Sic habent omnes, at hoc esse falsum facile probari potest; constat enim ab obitu Rogerii Primi, ad obitum hujus 53. annos intercessisse. Ille siquidem anno salutis 1107. excessit, hic vero anno 1154. Quod si Simonis Imperio quinque, vel sex, ut aliqui volunt, adscribantur anni, Rogerium hunc 47., vel 48. regnasse dicamus necesse est. Mitto quod temporis ratio, quo Nordmanni Siciliæ præfuere, aliter constare non poterit. Vide Hugonem Falcandum de Siciliæ calamitatibus non longe ab initio, ubi elegantissime ejus mores expressit. Tum confer. Hist. Neapolitani Regni Pandulphi Collenutii lib. 3.

6. Vide Illescas in Lucio II.

DE

Sub Alexandro autem III. Rogerium defunctum Maurolycus non asserit, sed a Paternonio additur, propterea quod an. 1167. extremum diem clauserit. Mortuus autem est sub Hadriano IV. Animadvertendum hic tamen est, Maurolycum non sibi semper constare, eadem quippe pagina 106. *col.* 2. *primum anno* 1164., *deinde anno* 1167. *e vivis sublatum Rogerium dicit, ut magis elucescat amanuenses, aut librarios, non Maurolycum, in hoc emortuali Rogerii anno indicando fuisse falsos.*

DE GUILLELMO

NOMINIS HUJUS I.

SICILIÆ REGE, QUEM *MAGNUM*, ET *MALUM* APPELLANT.

Guillelmus (1) unicus Rogerii filius suffectus est Patri, qui vivens adhuc eum sibi Regni socium adjunxerat. Is cum ingenio esset alioqui solerti, et militia strenuus, multa adversus Sarracenos in Ægypto, ac Constantinopolitanum Imperatorem præclare fortiterque gessit (a). Pluribus enim Sarracenorum urbibus vi captis, expugnatisque, ac deprædata Acri ipsorum urbe celebri, et potentissima, dum retro proram vertit in Imperatoris classem incurrit, et quamvis numero impar virtute tamen et animo major multa cum celeritate centum quinquaginta captis Græcis navibus victor in Siciliam rediit. Alexandro item Rom. Pont. hujus nominis III. contra Fridericum I. Cæsarem cognomento Barbarossam pie admodum, et religiose favit. (Quamquam antea ab Hadriano IV., qui Alexandrum præcesserat, quod nonnulla Pontificis oppida, nempe Beneventum, Ceperanum, Babucumque in Hernicis propter repulsam a regnorum confirmatione passam (b) occuparit, anathemate percussus fuit, tituloque Regio spoliatus). Suis siquidem ipse triremibus e Terracina in Galliam fuga sibi salutem quærentem deduxit incolumem. Unde dum paulo post revertitur Pontifex, Messanam Gallico

 Na-

(a) *Quod Guillelmus I. bellaverit adversus Sarracenos in Ægypto, non legimus, cum vere in eam Africæ partem arma moverit, quæ* Barbaria *vocitatur, et præcipue contra Regem Marochii. Ea præterea, quæ sunt acta adversus Sarracenos, et Imperatorem Orientis, non per se præstitit Guillelmus, sed per suos duces, quos ad præliandum misit. Quamvis enim ipse strenuus esset, virtutem nihilominus militarem, neque in Sarracenos, neque in Græcos, sed in solos Primores Siciliæ, Calabriæ, et Apuliæ, et in Romanum Pontificem exercuit.*

(b) *Non ob repulsam a Regnorum confirmatione Pontificiæ ditionis oppida Guillelmus occupavit, sed quod Hadrianus ad eum scribens non Regem, sed Dominum Siciliæ nuncupaverit, ut Romualdus Salernitanus in* Chronico *refert.*

navigio inundantibus fluctibus appulsum Guillelmus idem adoratum, magnoque plausu exceptum, ab eo regnorum ipse suorum titulis insignitus, propriis triremibus Romam usque deduxit (c). Quo circa in hisce administrationis primordiis *Magni* cognomen est assecutus. Verum enim vero, ubi se domi continet e contra ignavissimi otii luxu, atque avaritiæ simul, et crudelitatis ignominia notatus, *Mali* appellationem ad ætatem usque nostram promeruit (2). Fama est, avaritia impulsum auro, et argento undique collecto coriaceam publice monetam suis insignibus expressam cudi jussisse (d). Leges contra jus omne tulit. Unam: ne virginibus absque Regis facultate non renitentibus ipsis etiam parentibus nubere liceret (e), quod et nostris quoque temporibus factitatum videmus: alteram (3), ut veterum

---

(c) *Nec Guillelmus Alexandrum III. in Galliam profugientem per se incolumem deduxit, nam quatuor tantum triremes, quæ ducerent, ad eum misit; nec Messanam perrexit, ut reducem adoraret, Panormi enim mansit, et Legatos tantum ad eum suo nomine salutandum destinavit, jussitque triremes alias, cunctaque, quæ necessaria erant, ut Romam commode, et tuto perveniret, parari. Riccardus Salernitanus Alexandrum primo Panormum venisse narrat, sed Cardinalis de Aragona in vita hujus Pontificis Messanam solum venisse testatur.*

(d) *Fama de coriacea moneta sub Regno Guillelmi I. cusa, fabulosa prorsus est, ipseque Fazellus, qui eam memorat, popularem esse traditionem testatur. Minime nos latet, Parutam asserere, se coriaceam monetam cum imagine Guillelmi I. observasse, sed ubinam esset, et a quo possideretur, minime refert. Fieri ne potuit ex innumeris ejusmodi nummis per Siciliam, Apuliam, Calabriam, ceteraque loca huic Regi subjecta dispersis, nec ullum reperiri, atque diligentes Antiquitatum collectores, qui omnia ferme Regum nostrorum numismata possident, coriaceum hunc qui per totam qua late patebat Guillelmi ditionem, non fuisse adeptos?*

(e) *Id præcipue Nobilibus fuerat præscriptum Majonis impulsu, qui cum optaret Potentiorum familias extingui, consensum nuptiis Regis nomine denegabat, eaque ratione voti compos fiebat. Optima sane lex esset, quæ Magnatum nuptias, non obtento prius Regnantium consensu, vetaret, idque ut familiarum decor conservaretur, injustus vero ejus usus, si requisita venia negaretur, quando nuptiæ inter pares essent contrahendæ.*

terum thesauri quovis in loco, fundoque alieno seu proprio reperti, ad Regem, non ad inventorem pertinerent, quam postea Fridericus Cæsar II. ac primus Siciliæ Rex ratam habuit, et in hæc usque tempora viget (*f*).

At cum Principes viri Tyrannum amplius ferre non possent, Matthæo Bonello conspirationis duce capiunt, et in vincula, tetrumque carcerem conjiciunt (*g*), ac Rogerium filium natu majorem, novennem fere puerum, quem nuper pater Ducem Apuliæ dixerat, magna cum populi consensione Regem salutant. Sed ut inconstans, atque multorum capitum bellua semper est populus, mutatis animis in conjuratores, exacto triduo, invehunt, Regemque vinculis solutum pristinæ dignitati restituunt, et quem antea seditione Regno dejecerant, novis rursus instauratis tumultibus in sella Regia collocant. Adeo namque volubilis formæ, varii, atque ancipites motus existere consueverunt, ut interdum humana mens, ubi desperatione consternata conspicitur, repente insperata consequatur. Tum præterea Apuliam, Calabriam, ac Campaniam, cum a se Comitis Loricelli, ac Cariatensis Comitissæ opera descivissent, facili negotio, comparato milite, sibi devinxit. Verum paulo post cum otio, et voluptati indulgeret, dissenteria solutus intra bimestre spatium Panormi anno ab orbe redempto MCLXVI. die Maji IX. (*h*) Alexandro III. Romæ Pontificem agente interiit, ibique sepultus est. Quamquam temporis

(f) *Donandum est Paternonii præcipiti in dijudicandis rationibus judicio, quod hanc legem* contra jus omne *latam definiat*; *omnium enim Politicorum sententia hodie sancitum est, sepultos thesauros ad Regem pertinere, et inter regalia jura eorum detectionem esse accensendam.*

(g) *Conjurati tetrum in carcerem Guillelmum non conjecerunt, tantumque mortem minitati eidem sunt, nisi regium diadema deponeret, quod cum obtinuissent, eundem in remotis Palatii angulis militibus custodiendum collocarunt. Hæc vero gesta sunt, dum Matthæus Bonellus Mitystrati, seu* Mistrectæ *moraretur. Quare quamvis conjurationis dux dici potuerit, quod cum ceteris de deponendo Rege consenserit, atque Mitystratum ad colligendas pro ea re copias iverit, vere tamen, cum conspiratio erupit, Panormo aberat.*

(h) *Chronicon Casinense die* 15. *Maji eundem mortuum refert, sed*

ris successu ; ubi Guillelmus filius in Monte Regali Templum maximum opere musivo, totique orbi visendum erigit, eo conjugis mandato translatus est, ubi et in hodiernam usque diem porphyretico mausoleo conditus cernitur. Regnavit autem annis XV. agebatque cum obiit annum ætatis XLV. (i).

AD-

sed vere neque decimoquinto, neque nono die Maji defunctus est, sed septimo intrante circa horam nonam, ut testatur Romualdus Salernitanus, qui præsens erat, et utpote medicus eumdem curaverat.

(i) *Idem Salernitanus, Guillelmum regnasse decem amplius menses ultra* XV. *annos, et anno vitæ suæ* XLVI. *fuisse mortuum testatur.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Excerpta hæc sunt ex Guiscardæ opere mss. vetustissimo, ac deinde sub Hugonis Falcandi nomine Lutetiæ impresso, et ex Fazello *lib.* 7. *dec. poster. cap.* 4.

2. Ajunt ad hæc impulsum Regem suasu cujusdam Majonis Barensis humili genere orti (ejus enim pater oleum vendiderat), qui cum antea scribam in Curia ageret, gradatim ad Cancellariatus dignitatem, Admiratusque potestatem a Rege ipso fuerat evectus (*a*).

3. Certant adhuc de hac lege Theologi. Paludanus enim *Inst. d.* 15. *qu.* 3. *or.* 5. *concl.* 1. cum D. Antonino 2. *p. t.* 1. *cap.* 15. §. 2. adfirmat Thesauros, ubicumque reperiantur, ad Principem pertinere. Sotus vero *de Just. et Jure lib.* 5. *qu.* 3. *art.* 3. sequutus Sylvestrum verbo *inventum*, docet esse contra jus naturæ ac gentium, et non obligare in conscientia. Sotum impugnant Cavarruvias, et Lud. Molina *de Just. tract.* 2. *disp.* 56. in fine, quamquam Cajetanus, et Navarrus in parte consentiant; docent enim circa Thesaurorum inventionem legibus civilibus loci standum esse.

DE

(a) *Fortassis si hunc Majonem, et Hugonem Archiepiscopum Panormitanum, pessimos equidem consiliarios, lateri suo adhærentes Guillelmus non habuisset,* Mali *nomen apud posteros, quod ex seculorum lapsu obliterari minime potuit, nec in posterum poterit, non obtinuisset. Modo Principes regni habenas suis familiaribus credant, si boni sint, pravi, si improbi optimi adparere possunt, prout mali, aut probi sunt ministri, quibus utuntur.*

DE GUILLELMO II.

SICILIÆ REGE (1) QUEM *BONUM* APPELLANT.

DUos reliquit filios superstites Guillelmus, quos ex Margarita uxore Garsiæ Ramiri Regis Navarræ filia susceperat, Guillelmum, et Henricum (Rogerium enim, quod sibi fuerit (2) dum in vinculis detineretur, prælatus, indignatus Pater tanto e se pedis impetu occurrentem repulit, ut paulo post (*a*) interierit). Ex his Guillelmum natu majorem annorum undecim, dum in extremis versaretur Pater, post se Regem, Henrico Capuæ Principatu concesso, sub matris tutela designavit. Patris igitur inferiis peractis, Guillelmus ingenti plebis gaudio faustisque acclamationibus Regno potitur. Verum cum pubertatis annos nondum esset ingressus (*b*) nonnulla seditionis initia Panormi pullularunt (3), Messanaque, Oddone Quarello auctore, ab Rege prorsus defecit. Sed brevi pacatis rebus, ubi adolevisset puer, ac Regni habenas suis ipse manibus tractaturus suscepit, jam inde pacis, ac quietis fuit semper studiosissimus, ac Romanæ Ecclesiæ ad summum usque vitæ spiritum undique observantissimus. Quod et in Alexandro III. Rom. Pont. non obscure declaravit. Nam, dum Fridericus Imperator cognomento *Barbarossa* Romam obsidet, ingentem Guillelmus pecuniæ vim, duasque triremes Pontifici misit, quo fuga, si e re foret, salutem sibi quæreret. Quem Rex cum primoribus Siculis in Apuliam exceptum, atque equis quamplurimis donatum, tredecimque triremibus optime instructis Venetias transvehi curavit. Ubi deinde Pontifex Friderico pro S. Marci foribus sibi prostrato, ac multis cum lacrymis veniam petenti facile pepercit (*c*), atque iisdem, quibus fuerat Guillelmi

(a) *Probabilior opinio Collenutii est, quam in notis Paternonius adducit, inverisimile enim est paterni calcis ictum tam vehementem fuisse, ut adolescentem ad mortem brevi traxerit.*

(b) *Romualdus Salernitanus, cum Rex salutatus est, duodecim fuisse annorum narrat in* Chronico, *sed Falcandus in Hist. Sic. quartum decimum jam attigisse annum adserit.*

(c) *Quod Fridericus Augustus* Barbarossa *humilis veniam petierit, et mandatis Pontificis Alexandri III. paruerit, totum Papa Legatis Guil-*

lelmi triremibus vectus, inde reversus, rursus a Rege maximo cum honore exceptus, ac salutatus est. Fuisse autem perhibetur Guillelmus aspectu pulcher, atque decorus (4) venusto ore, castus, liberalis, clemens, consultus, beneficus in litteratos, pius, nec minus aptus ad arma, cum se sibi obtulit occasio; Andronicum enim Græcum, qui Emmanuele II. pupillo necato Constantinopolitanum occupaverat imperium Thessalonicæ oppugnavit, multaque Græciæ, ac Thraciæ oppida populatus est, donec, trucidato Byzantii Andronico, Isacium ad imperium evexit (d), Aphrodisium urbem, quam Abulmumen Maroc Rex Guillelmo patri abstulerat, Josepho filio devicto, ejusque capta filia, recuperavit.

Post hæc anno ab orbe redempto MCLXXXIV. in eo exercitu, copiisque auxiliaribus, quæ Hierusalem, hortatu Lucii III. Pont. Max., qui Alexandro III. successit, contra Saladinum a Christianis Principibus mittebatur (5) dux omnium consensu declaratus est (e),

F Phi-

Guillelmi II. Regis Siciliæ retulit acceptum. Imperator enim variis tergiversationibus propositam pacem declinabat, sperans etiam, invito Pontifice, se venturum Venetias, quemadmodum Venetorum promissis illiciebatur; quod si evenisset, Alexandrum timore affectum, facile ad sua vota descensurum sibi blandiebatur. Sed Oratores Siculi in pleno Senatu exprobrarunt Senatui sponsionem Pontifici factam, Fridericum nempe in eam civitatem, nisi voluntate ejus, non recepturos, deinde acriter sunt minati, Venetos, si aliter agerent, Regis Guillelmi, et Siculorum amicitiam amissuros, a quo veluti hostes in posterum reputarentur. Quæ cum dixissent jusserunt, Regias Triremes statim præparari, præstoque esse ad discessum, ut postridie in Siciliam proficiscerentur. Tanta vero formidine capti Veneti fuerunt, ut ab incepto destiterint. V. Salern. in chron.

(d) *Isaacius minime fuit ad imperium a Guillelmo evectus, quin immo Regis duces conati sunt eumdem imperio, quod a Constantinopolitanis obtinuerat, exspoliare. Pugnatum propterea est, eoque in bello Siculus exercitus adversum expertus est Martem, et in Isaacii manus incidere duo duces Siculi, scilicet comes Alduinus, et comes Acerranus, qui ad ornandum Isaacii triumphum catenis vincti Constantinopolim perducti sunt. Vide Franciscum Testam* de vita, et rebus gestis Guillelmi II. lib. 4.

(e) *Guillelmum Christianis Orientalibus ad Hierosolymas recuperas-*

Philippo Francorum, ac Riccardo Angliæ Regibus posthabitis. Quamvis ob Pontificis obitum anno, qui hunc proxime subsecutus est, res tota evanuerit (6). Verum cum Saladinus Sarracenorum Rex capta jam Hierosolyma Tyrum dura obsidione premeret, Guillelmus quadraginta triremes in auxilium christianorum misit, et obsidionem hostis fœde solvere coactus est.

His præclare gestis, Religioni addictus ad sacras Ædes erigendas totus incubuit. Templum inter cetera magnificentissimum, ac toto orbe celeberrimum opere musivo a fundamentis extruxit, ac divæ Mariæ Virgini Imperii sui anno XI. salutis MCLXXVI. dicavit (7) (*f*) ob quæ atque alia id genus pietatis opera *Boni* cognomento cohonestatus est. Ita Rex optimus post multam religionem, et merita multa ducta uxore Joanna Angliæ Regis Riccardi filia, postquam quinque, et viginti annis Imperio præfuisset, ætatis suæ XXXVI. salutis vero nostræ MCLXXXIX. die decima octava Novembris Panormi, nulla relicta prole (*g*) Clemente III. Rom. Pont. moritur, et in templo maximo sepultus est (8). Ejus postmodum corpus in templum Montis Regalis, ab eo extructum, est translatum, ubi patrem ipse porphyretico, se vero cœmentitio, ac vili tumulo ad pedes

randas opem tulisse legimus, sed omnium consensu ducem exercitus Crucesignatorum fuisse constitutum, nec audivimus, nec facile credimus; neque enim in armis multam sibi acquisierat famam. Hæc vero non acciderunt postquam Isaacius Imperio potitus est, sed multis ante annis, nam Alexander III. qui hujus belli auctor fuit, anno 1181. *mortuus est, Isaacius vero, occiso Andronico, successit anno* 1185.

(f) *Reapse Monregalense Templum anno* 1174. *extructum, et Virgini dicatum est, qui annus vel decimo, vel undecimo regni ejus respondet. De hoc vere magnifico Templo vide Lellum, del Giudice, et postremo inter omnes Franciscum Testa in cit. superius opere* lib. 3.

(g) *Subdubitatur utrum Regina Joanna filium Guillelmo genuerit, an vero sterilis fuerit. Robertus de Monte in* Chronico *refert, eandem filium fuisse enixam, cui Boemondi nomen fuit impositum, quemque statim Guillelmus Apuliæ Ducem declaravit, sed Riccardus a S. Germano in* Chronico, *Deum uterum ejus conclusisse testatur*, ut non pareret, *inquit*, vel conciperet filium, et ne relinqueret sui superstitem super terram.

des genitoris, prout ultimis idem verbis decreverat (*h*), humo mandari curavit. Verum enim vero nostris hisce temporibus Aloysius Torrensis Hispanus, qui illi Ecclesiæ multa cum laude Archiepiscopus præfuit, insigni Guillelmi pietate ductus in marmoreo sepulcro, et eo quidem elegantissimo opere sculpto reclusum honestiori loco condidit.

(h) *Quod decreverit Guillelmus corpus suum in Monregalensi Templo collocari, et rationi consonum est, et ab omnibus scriptoribus narratur, et reipsa facto comprobatur: sed quod jusserit in vili, et cæmentitio sepulcro ad pedes Genitoris condi, hoc equidem minime constat. Forte exardescentibus inter Henricum VI., et Tancredum bellis, nemo curavit decorum sepulcrum Guillelmo erigere, hujusque rei lapsu temporis deperdita memoria, mansere ejus ossa inhonorata, quousque Aloysius Torres Pontifex Monregalensis in marmoreo tumulo eadem recludere cogitavit. Verba Epitaphii ab hoc Archiepiscopo sepulcro apposita hujus testamentariæ determinationis non meminere, quod non omisissent, si se rex ita sepeliri jussisset, tantumque referunt Sarcophagum marmoreum fuisse illi adsignatum*, ne tantus Rex sine honore jaceret.

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Hoc Guillelmo regnante natus est divus Dominicus Osmæ Caleoregii in Hispania, anno nempe 1170. Alexandro III. Rom. Pont. ac deinde anno 1182. divus Franciscus aliud Ecclesiæ Sanctæ lumen Assisii (*a*).

2. Docet Collenutius, Rogerium, dum tumultuantem populum e fenestra conspicit, sagitta in oculo ab incerto quopiam percussum interiisse.

3. Vide Hugonem Falcandum de Siciliæ calamitatibus juxta finem.

4. Asserit Hugo Falcandus fuisse puerum tantæ pulchritudinis, quod facilius quidem parem excludere videretur, quam superiorem admittere.

5. Illescas in Urbano II. Lucio III. et Urbano III.

6. Successit enim Lucio Urbanus III. qui in hoc unum totus fuit. Antequam tamen Hierosolymitanis succurri potuerit, anno 1187. die Octobris 2. Saladinus Sanctam Civitatem expugnavit, Guido Lusignano Rege superato, anno scilicet octuagesimo octavo a die, quo Gotifredus Lotharingiæ Dux Urbano II. Pont. Max. illam a manibus infidelium anno 1099. die Junii 15. extractam Christianis adjunxerat. Ex Illescas ubi supra.

7. Sub idem tempus Gualtherius Archiepiscopus Panormitanus Regis auxilio Templum maximum Panormi, et Cœnobium S. Spiritus Ordinis Cisterciensis (*b*) non procul ab urbe condidit.

8. Sub

(a) *Sub Guillelmi II. Regno si quid certi fama habet, vixit Rosalia virgo, quæ Reginæ Margaritæ ejus matri in primis cara, mundum linquens primo Quisquinæ antro, deinde in alia specu, quam sibi in monte Ercta, qui hodie* Peregrinus *dicitur, elegerat, eremiticam vitam duxit.*

(b) *Ex Ordine Cisterciensi Cœnobium istud cessit Monachis Montis Oliveti, quibus recedentibus, et Panormum se se recipientibus, eorum loco Fratres* Reformati *Ordinis S. Francisci ibi inhabitarunt. In præsens, cum proximus ager sepeliendis civibus fuerit designatus, Ecclesia, et domicilium commodo Presbyterorum, aliorumque, qui pio huic operi inservient, addicitur.*

8. Sub hoc Guillèlmo anno Regni ejus octavo, ab instaurata vero salute anno 1169. octavo Februarii (c) hora prima vehemens terræmotus totam Siciliam, et Calabriam concussit. Quo Catana urbs clarissima, nec non tunc temporis opulentissima, subversa est quasi tota, civium autem ad 15. millia una cum Episcopo, maximaque Monachorum parte oppressit. Plura præterea in Catanensium, et Siracusanorum finibus oppida corruere, nec uno in loco terra dehiscens, aut novos protulit fontes, aut antiquos obstruxit. Ætnæi montis vertex, qua Taurominium respicit, subsedisse visus est. Arethusæ fons salsuginem adauxit. In Tavi monte fons per duas horas obstrusus magno tandem impetu erumpens sanguineum laticem toto horæ spatio effudit. Messanæ denique mare paulisper primum a littore cedens, ac mox cum impetu, fremituque recurrens, metas trangressum, portis etiam civitatis se infudit. Hæc ex Fazello, Maurolyco, et aliis, qui se ex codice quodam mss. et quidem antiquissimo, quique ad manus etiam meas pervenit, accepisse testantur (codex hic Hugonis Falcandi opus est).

DE

(c) *Hugo Falcandus in* Hist. Sic. *et Romualdus Salernitanus terræmotum, quo de agitur, non octavo, sed quarto die Februarii accidisse narrant, quos secuti sunt nostrates, et præcipue Mongitorius* (Sicilia ricercata T. II. p. 367.) *et Abbas Vitus de Amico* (Catanæ illustratæ lib. I. C. II. T. II. §. X. pag. 49.

DE TANCREDO

SICILIÆ REGE.

GUillelmo *Bono* absque liberis, vel quoquam alio legitimo herede demortuo (Constantia enim Rogerii II. ejus avi filia virginitatem uti supra dictum est , in Monasterio S. Servatoris , seu divæ Claræ (*a*), ut aliis placet, Panormi perpetuo voverat (*b*)) cum Regnum jure publico ad Romanam Sedem recidisset (*c*) Tancredus ex furtivo (1) thoro Rogerio II. natus, quem Guillelmus prole carens e Græcia revocarat (*d*), illud, contra, sed frustra Clemente III. Pont. Max. annitente, invasit (*e*). Verum anno quinto, a quo rerum fuerat potitus, salutis vero nostræ MCXCV. Cœlestino III. Romæ Pontificem agente, morbo correptus Panormi occubuit, ibique in tem-

---

(a) *Monasterium S. Claræ Panormi tunc exstitisse chronologicus error est. Quamvis enim ex Pirro antiquissimum illud dicatur, nihilominus ætatem Francisci, et Claræ præcedere nequivit, neque institutum Ordinis Franciscani, cujus exordium anno 1209. fuisse indubitatum est.*

(b) *De commentitio hoc voto satis egimus in notis ad Rogerium I. Siciliæ Regem.*

(c) *Vana hæc est Romanæ Curiæ opinio, nec hodie Siculus Auctor impune talia scriberet. Nam præter quam, quod Constantia ex Normannorum stirpe superstes erat, Siciliæ quidem Regnum haud poterat in Romanam Sedem recidere, quæ illud nuspiam possedit, nec cuiquam jure concessit.*

(d) *Tancredus non a Rege Rogerio, ut dictum est, sed a Rogerio hujus filio Apuliæ Duce natus est, furtivo equidem thoro, sed ante mortem a patre, ut nonnullis placet, ducta concubina in uxorem, legitimus declaratus est. Hic in Græciam perrexit, ut Guillelmi I. odium effugeret.*

(e) *Injuste velut invasor traducitur Tancredus, ut monuimus, enim vero præterquam quod jus ad Regnum ex contractis a patre nuptiis, ut nonnullis visum est, habebat, a primoribus Siculis e comitatu Lycii evocatus fuit, ut Regium Diadema Siciliæ susciperet. Vide* Chron. Fossæ novæ, *et Riccardum a S. Germano. Tantum autem abest, ut Clemens III. adnisus sit, ne a Tancredo Regnum occuparetur, ut etiam constet eundem hujus Principis electioni assensum præbuisse.* Tancredus comes

templo maximo sepultus est Rogerio filio (*f*) quem antea Apuliæ Ducem instituerat, successore declarato, ac femellis tribus Alteria, Constantia, et Madonia ex Sybilla uxore superstitibus.

---

comes Lycii, *ait modo laudatus Riccardus a S. Germano*, Romana in hoc Curia dante assensum, est per ipsum Cancellarium coronatus in Regem.

(f) *Rogerius patri præmortuus est, quare legendum est*: Guillelmo filio.

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Ita Maurolycus lib. 3. Colleuutius in comp. Hist. Neap. lib. 3. scribit, Tancredum, nec non Constantiam Rogerii II. filios fuisse ex nobili Pellice Roberti Leccii Comitis filia, quam tamen, antequam obiret, sponsam sibi copulavit (*a*).

DE

(a) *Fallitur Collenutius, dum Rogerium II. nominat Tancredi patrem, ut multoties adnotatum est, nec poterat Rogerius Rex pellicem, antequam moreretur, sibi sponsam copulare; vivebat enim Beatrix tertia ejus uxor, quam prægnantem reliquerat, quæque Constantiam deinde peperit, quidquid dixerint Patres Benedictini Congregationis S. Mauri (Art de verifier les dates Chron. de Chron. de Rois de Sicile pag. 896.) qui de tertiis Regis Rogerii cum Beatrice nuptiis scripserunt:* le 3. fu sterile. *Rogerius ergo Tancredi Pater Rogerius Dux Apuliæ fuit primogenitus Rogerii II. qui forte pellicem, priusquam moreretur, sponsam, quemadmodum admonuimus, elegit.*

DE ROGERIO III. (a)

SICILIÆ REGE.

POst Tancredi obitum Rogerius (b) ejus filius maximo omnium favore, et consensu Rex salutatur (c), quem cum Henricus Cæsar hujus nominis V. (d) viribus apud Neapolim superare non posset, Panormi 30. Decembris dolo, fraudibusque captum (e) anno a reparata salute MCXCV. in Alemanniam una cum Alteria, Constantia, et Madonia sororibus relegatum luminibus privat. Utque ei spem omnem posteritatis adimeret, ac de jure hereditatis futuræ litigandi surriperet caussam, genitales illi partes resecans tetro carceri ad mortem usque mancipat. Rogerius (f) translato ad Svevos Regno, longis fletibus, querelisque fessam tandem emisit animam, extincta in eo Nordmannorum Sobole de Sicilia optime merita, cum ab alio (g) Rogerio in eo Regno ceperit incrementa, ac annis CXXXV. Siciliæ, Neapolitanique Regni manu validissima sceptra tenuerit.

DE

(a) *Lege* Guillelmo III.

(b) *Lege* Guillelmus.

(c) *Fuerat jam Guillelmus a Tancredo Patre, postquam Rogerius ejus frater acerba morte raptus fuit, Rex declaratus, et Panormi coronatus, priusquam pater extremum diem clauderet. Vide Riccardum a S. Germano* in chron. *et Pirrum* in chron. Regum Siciliæ.

(d) *Lege VI.*

(e) *Non Panormi dolo captus Guillelmus ab Henrico VI. est, ipse enim cum Matre Sybilla, dum hanc in urbem Augustus adventaret, fugit Calatabellotam, ubi castrum erat bene munitum, annona, militibus, argento, ceterisque ad strenuam longamque defensionem pernecessariis.*

(f) *Lege* Guillelmus.

(g) *Reputans Paternonius hunc postremum Regem Rogerii nomen habuisse, recte Regnum Normannorum a Rogerio incepisse, et in Rogerio desiisse adserit. Sed fallitur, ut clare patet.*

Petro Aragon-
Regi ad quem
occisis a Siculis
Gallis transla-

Confl
Manfre
quæ

cumque incusserit. His peractis Insubriam petiit, Constantia
Salerni linquens, quæ ab iis civibus prodita in manus Tancr
venit, et deinde Pontificis Cælestini III. officiis libertati re

(g) *Reputans Paternonius hunc postremum Regem Rogerii nomen habuisse, recte Regnum Normannorum a Rogerio incepisse, et in Rogerio desiisse adserit. Sed fallitur, ut clare patet.*

DE HENRICO SVEVO (1)

SICILIÆ REGE AC V. (a) HUJUS NOMINIS ROMANORUM IMPERATORE.

HEnricus Cæsar nominis hujus V., sive ut colligunt alii VI. (2) ex Svevia Germaniæ superioris regione, Patre Friderico (3) I. Cæsare Ænobarbo ex Svevorum familia totius Orbis nobilitate, ac multorum Cæsarum propagatione clarissima natus jure uxorio Panormi ultima Novembris die anni a Virgineo Partu MCXCV. Regio Diademate est insignitus (b) Cum enim Cœlestinus Papa III. (4) iniquo animo a Tancredo occupari Regnum ferret (sicut et

G olim

(a) *Quamvis vere Henricus quintus inter Cæsares fuerit, primus enim inter Henricos, scilicet Henricus Auceps, imperiali diademate numquam fuit insignitus, nihilominus malumus sextum dicere, ducto non a Cæsarea dignitate, sed a Regno Svevorum numero; sextus enim inter Henricos Suabiæ Reges fuit. Hanc autem potius denominationem adamavimus, quod ferme apud omnes, et præcipue apud nostrates sextus nuncupari consueverit.*

(b) *Statim ac Tancredus Rex Siciliæ consecratus fuit, Henricus hunc invasorem reputans, de eo expellendo cogitavit, sed cum præpeditus Germaniæ bellis esset, misit in Italiam Henricum Testa Imperii, ut vocant,* Maresciallum *cum manu militum, qui se Andriæ Comiti a Tancredo deficienti conjunxit, et arma in Apuliam movit: sed præter agrorum devastationem nihil peculiare egit; nam defectu annonæ, et ob morbos diminuto exercitu in Alemanniam rediit. Mortuo vero Friderico Barbarossa ejus patre, cum ad recipiendum Romæ Imperiale diadema sese disponeret anno* 1191. *copias innumeras secum duxit, ut eo recepto, ad recuperandam uxoris hereditatem pergeret: sed primo Januam venit, ut fœdus ea cum Republica iniret, et classem obtineret, qua posset Siciliam mari terraque invadere. Roma discedens mense Aprilis* 1192. *in Regnum Neapolitanum perrexit, universamque Campaniam, et Apuliam aggressus, adeo hostilitèr cives, captasque urbes vexavit, ut timorem ubicumque incusserit. His peractis Insubriam petiit, Constantiam conjugem Salerni linquens, quæ ab iis civibus prodita in manus Tancredi Siciliam venit, et deinde Pontificis Cælestini III. officiis libertati restituta est.*

Cete-

olim Clemens item III. qui eum in Pontificatu præcessit (*a*)) non alia ratione Henricum, jam a Germanis, vivente Patre, in Romanorum Regem electum Imperatorem confirmavit, quam ut suo sumptu a Tancredo Siciliam repeteret, et Romanæ Ecclesiæ censum solveret annuum. Constantiam Rogerii Regis filiam quinquagenariam (5) a Gualterio Archiepiscopo Panormitano suo jussu a sacro S. Salvatoris Cœnobio clam extractam ac Romam adductam, votiva virginitate absolutam (*b*) uxorem ei copulavit, cui hereditario jure Regnum a Parentibus relictum debebatur. Is morum duritie, quod non solum in Rogerium Regem (*c*), sed et in eas quoque, qui Tancredo, et Rogerio (*d*) faverant, statim initio Regni sui Panormi sævit, Aper a quibusdam, et Cyclops ab omnibus est appellatus: nam Præsules, Comites, Clericosque, qui Tancredi coronationi et præfuerant, et interfuerant, trucidavit, eademque die extra urbis mœnia combussit; ceteros vero exilio mulctavit. Cumque Urbes multæ, ac in primis Catana Nordmannis, ut par erat, faven-

---

Ceterum Henricus arma in Siciliam minime movit, nisi postquam Tancredus fato cessit.

(a) *Tantum abfuisse, ut Clemens III. iniquo animo tulerit, Tancredum Regno Siculo fuisse potitum, ut etiam coronationi ejus assensum præbuerit, jam in notis ad Tancredum ex Riccardo a S. Germano demonstravimus: sed quod ad Cælestinum III. attinet res in confesso est, hunc Pontificem nullum non movisse lapidem, ut Henricum a ferendo in utramque Siciliam bello avocaret (vide Arnald. Lubec. lib. IV. cap. V.) Intererat sane Romanam Ecclesiam tam potentem Principem a Regnis suæ ditioni finitimis arcere.*

(b) *Eamdem ingeminat Paternonius cantilenam de Pontificis dispensatione in Monasticis votis Constantiæ facta, et modo ad augendam fabulam quinquaginta eidem annos, cum nupsit, attribuit, de qua re infra. Nuptiæ vero ejus cum Henrico anno* 1186. *Mediolani, non Romæ celebratæ sunt, quo anno non Cælestinus, sed Urbanus III. Pontificem agebat, quem scimus secrete apud nonnullos ex Siculis egisse, ut eas impedirent, ne Romanus Principatus Svevorum simul et Siculorum incursibus exponeretur.*

(c) *Centies advertimus, hunc non Rogerium, sed Guillelmum esse vocandum.*

(d) *Lege* Guillelmo.

faventes, Henricum detrectarent, magna vi illas expugnat, captosque Nobiles omnes igni tradit, cunctaque Teutonica, eaque barbara crudelitate replet (e). Quo tyrannicæ immanitatis genere permotus Cœlestinus illum a Christianorum communione sejungit, quamquam paulo post pœnitudine ductum absolvit (f).

In-

(e) *Crudelissimum in Siculos æque ac in Appulos, et Calabros fuisse Henricum, nemo est, qui dubitet; an vero quæ de ipsus tyrannide narrantur ab historicis, singula ita acciderint, et (ut ad ea quæ de Catana refert Paternonius peculiariter descendamus) utrum nobiles omnes Catinenses igne cremati sint, illud est, de quo jure suspicari possumus; innumera enim traduntur ab eisdem, quæ fundamento carent. Quod certum est, et veritati consonum, illud est, Henricum, ut occupatum Regnum conservaret, tametsi Sybilla Regina cum filiis Guillelmo Rege, et Albiria, Constantia, Mandoniaque hujus sororibus dolosis ab eo factis promissis fidens, sua esset in potestate, cogitasse non solum integram dirimere reliquam hanc Normannorum stirpem, sed diris etiam eos devovere, qui familiam Regiam adamarent, quibus extinctis, nihil sibi amplius in Regno Siciliæ expavendum rebatur. Eo ut pertingeret, Generalem Curiam Panormum advocavit, in eaque quasdam, quas effinxerat, litteras recitari jussit, quibus indicabatur primores Siciliæ viros una cum Regina, et filiis conjurationem adversus Svevum Imperium machinari, nec ullis adductis probationibus, nullove rei examine instituto, precepit, ut adversus eos statim ageretur. Vinculis propterea Regalis Familia universa detenta est, quique eidem adhærebant ex Regni Magnatibus, partim morte, partim carceribus, partim denique exilio mulctati sunt. Ita Riccardus de S. Germano, et Ceccanus in suis Chronicis, et Sigonius de Regno Italiæ testantur.*

(f) *Henricum fuisse a Cælestino III. excommunicatum fabula Romanensis est a Rogerio Ovedeno (in Annalibus) venditata, quem sequuti sunt Galuanus Flamma (in manipulo florum) Joannes Villanus (lib. V. Hist. Flor.) et ex nostratibus Inveges, Carusius, Petrus Giannonius, aliique, etsi aliam hujus censuræ caussam adducant, Riccardi nempe Anglorum Regis captivitatem. Sed Anglus hic Princeps non ab Henrico Augusto, sed ab Austriæ Duce captus est, venditusque Imperatori sexaginta mille didrachmatibus argenteis, quo soluto pretio in libertatem rediit. Dux itaque Austriæ non Henricus is fuit, in quem Cælestinus cum Purpuratorum collegio fulmen excommunicationis intorsit.*

Quam-

Interea Saladino Jerosolimitano Sarracenorum Rege mortuo, Pontificis suasu in magnam recuperandæ Jerosolimæ spem erectus, confertissimis copiis Moguntino Archiepiscopo ac Saxoniæ Duce præfectis movit (*g*), sed morte prævento, res tota maxima cum Christianorum jactura infelicem exitum sortita est. Migravit autem a luce (*h*) Messanæ anno imperii sui septimo, Siciliæ vero, Neapolisque Regnorum quinto, a Christo autem nato MCXCIX. die XXIX. Septembris (*i*) Romæ Pontificem gerente Innocentio III. qui Cœlesti-

Quamobrem commentitia quoque est eorumdem narratio, qui fingunt; mortuo Henrico Messanæ, cum esset a societate fidelium sejunctus, Constantiam illico Messanensem Archiepiscopum Romam misisse ad Innocentium III. qui Cælestino successerat, rogatum Pontificem, ut concederet defuncti Augusti corpus Ecclesiasticæ sepulturæ permitti, quod volunt ab Innocentio constanter fuisse negatum.

(g) *Hoc ipsum probat, Henricum cum Ecclesia Romana peramice fuisse conjunctum, neque ulla censura fuisse innodatum; neque enim Pontifex sacri belli summam ei concredidisset, quem ab Ecclesia segregaverat.*

(h) *Incerta est dies, qua fato cessit Henricus, nam aliis placet vicesimo octavo, aliis postremo ejusdem mensis diem obiisse (vide Caffarum in ann. Genuensibus lib. IV.) nec desunt qui ejus mortem ad quintam usque diem sequentis Octobris differunt.*

(i) *Vix credi potest, quæ quantaque figmenta recitata de hac Constantia, deque ejus partu ab historicis sint, quæ non scaturiunt, nisi ex falsa, quam alibi indicavimus, traditione, Constantiam videlicet, vivente Rege Rogerio, in lucem prodiisse, grandemque natu fuisse, cum Abbas Joachimus Panormum accitus fuit, velamenque monasticum suscepisse, et vota religiosa vovisse, ne quæ fatidicus iste præviderat, comprobarentur: quæ si vera fuissent, cum ipsa Henrico nupsit, necesse equidem erat eamdem grandiusculam ad sponsum accessisse, quî fit, ut nonnulli quinquaginta annorum fuisse fabulentur, nec desint, qui sexaginta, et sexaginta quinque eidem tribuunt annos? Hæc porro ætas perraro gignendis filiis apta est, quamobrem, ne suppositus partus crederetur, referunt, eamdem publice Panormi in Matronarum frequentia fuisse enixam. Sed quod risum movet, illud est, quod Anonymus Vaticanus a Carusio primum T. II. Bibliothecæ Siculæ promulgatus, deinde a Muratorio T. VIII. Rer. Ital. effutit, Constantiam detectis mamillis lac stillantibus toto itinere per urbes deambulasse, ut omnes noscerent prægnan-*

ætino successit Friderico quinquenni filio superstite ; ac Regni herede relicto, quem ei Constantia uxor publice (ne suspicio eam utpote annosam uterum mentitam, partum sibi supposuisse exoriretur) in medio (7) Panormitanæ Ecclesiæ vestibulo (*l*) in die S. Stephani Protomartyris fuerat enixa. Ejus deinde corpus Panormum translatum, sepulcro porphyretico in Templo maximo conditum est. Fuit autem Henricus (8) statura mediocri (*l*) debili, tenuique corpore, decorus aspectu, prudens, ac facundus, aucupio deditus, cujus usum in Italiam Fridericus Pater primus intulisse fertur, sævus, immanis, fœdifragus.

AD-

---

gnantem eam esse : se per diversas civitates Imperii et Regni contulit Siciliæ famosissimas, ostendendo cunctis, hoc non credentibus, nudas mammas, sive mamillas lacte plenas. *Hunc sequutus est, teste Inveges (Annali di Palermo T. III. era VIII. Sveva) auctor præfationis ad primam editionem Capitulorum Regni, qui ait* : Constantia Siciliam, mamillis discoopertis migrabat lac stillantibus, tandem ipsius basilicæ in publico apud Panormi cœmeterium peperit. *Sed certa res est, Constantiam post Regis Rogerii obitum fuisse natam, monacham nunquam fuisse, etsi in monasterio fuerit educata, cum nupsit vix tricesimum primum attigisse annum, et Fridericum filium Æsii fuisse natum, et a Ducibus Spoletanis in infantili ætate fuisse enutritum. Non est hujus loci fabularum ejusmodi originem quærere, quæ omnino Marcualdum Henrici familiarem et hostem Constantiæ, quæ post viri mortem e regno eumdem expulerat, habuere auctorem.*

(l) *Cum anno* 1781. *Sarcophaga, quæ in majori templo Panormitano exstant, retegerentur, visum est integrum Henrici corpus, sed brevi statura, cujus mento adhuc rubra barba, qualem Fridericus pater habuerat, adhærebat.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Vide de hac Svevorum Gente Collenutium lib. 1.

2. In quodam privilegio Messanensibus ab eodem Henrico anno 1198. concesso appellatur VI.

3. Fridericus hic in Cydno amne in Syria contra Saladinum pugnans, dum aquarum suavitate delectatus nat, aquis præfocatus est.

4. Bernardus Justinianus in vita B. Laurentii Justiniani cap. 1. non Cœlestinum (a) sed Alexandrum III. hujus rei facit auctorem, qui iisdem temporibus Nicolao Justiniano concessit etiam, ut a Religione liber (erat enim Monachus Venetiis) matrimonio se ad recuperandam generis sui sobolem copularet.

5. Illescas autem in Cœlestino III. annos LV. natam fuisse tradit (b). Ceterum hæc illa Constantia est, quæ Catanensi Episcopatui Calatabianum oppidum addidit, ut ejus litteris datis Messanæ mense Majo 1213. constat, quod quo jure ad regem redierit, ignotum (c). Obiit autem Panormi annos duos (d) post maritum Friderico

(a) *Etiamsi fingatur, Constantiam vota emisisse, atque ob id derogationem obtinuisse a Romano Pontifice, ut posset a votis soluta cum Henrico nubere, quod falsum esse satis ostendimus, certe Papa, a quo ea petenda erat, nec Cælestinus esse potuit, nec Alexander III. Cum enim initum connubium fuerit anno salutis* 1185. *vel a Lucio III., ut nobis arridet, nam necesse erat, ut nuptias præcederet, vel ab Urbano III. qui Lucio successit, dispensatio erat impertienda. Ceterum Romanam Sedem huic matrimonio non adhæsisse, dictum jam est, quæ profecto restitisset, si sine abrogatione votorum illud iniri non potuisset.*

(b) *Vide, quæ supra de ætate Constantiæ animadvertimus.*

(c) *Graviter hic fallitur Paternonius, sibique contradicit, nam paulo post narrat, Constantiam post annos duos a morte Henrici diem ultimum obiisse; mortuus autem Henricus est anno* 1197. *accidit ergo Constantiæ mors eodem auctore anno* 1199. *et propterea ad eam referri nequit concessio oppidi Calatabiani Episcopatui Catanensi facta. Illud itaque Gualterio Episcopo tradidit Constantia II. Augusti Friderici uxor, ut constat ex ipso diplomate relato a Pirro* (Not. Eccl. Sic. not. 1. pag-

derico filio septenni, ac Panormo paulo ante Regni corona insignito sub tutela Innocentii III. Romani Pontificis relicto.

6. Scribit Illescas in Innocentio III. ejus obitus fuisse caussam, quod cum ingenti æstuaret calore, dum venationi incumbit, gelidissimum nactus fontem, ejus suavitate illectus, juxta illum dormiens tantum inde hausit humoris, ut subita febri correptus paulo post interierit, quamvis non vacet suspicione (*e*) Constantia uxor injuriarum, quas a Rege passus fuerat Rogerius (*Guillelmus*) non oblita.

7. Quidquid dicat Collenutius lib. 8. qui scribit Constantiam non Panormi, sed in civitate Jesii (*f*) in Piceno peperisse.

8. Collenutius ubi supra.

DE

pag. 23.) *cujus initium est*: Constantia divina favente clementia Romanorum Regina semper Augusta, et Regina Siciliæ una cum carissimo filio suo Henrico illustri Rege Siciliæ etc. *Henricus autem fuit filius Friderici II. primogenitus*.

(d) *Vere non supervixit biennio, sed mensibus quatuordecim, mortuus enim est Henricus mense Septembri anni* 1197. *Constantia vero obiit insequente anno* 1198. *mense Novembri*.

(e) *Summorum persæpe virorum mors, maxime si viridi ætate, qualis erat Henrici, qui duos et triginta nondum excesserat annos, diem ultimum obeant, nunquam veneni suspicione caret. Ignarum vulgus haud cogitat, Libitinam æquo pulsare pede regum turres, pauperumque tabernas, nec aggredi senes, et juvenibus parcere. Uspergensis in Chronico hanc popularem vocem nullam præ se ferre similitudinem veri docet, quoniam hi conjuges mutuo sese constantique amore dilexerant, cujus rei testimonium est acerbus dolor, quo Constantia consternata diu jacuit, quando virum, quem deperibat, immatura morte sublatum audiit*.

(f) *Potius* Æsii *legerem*.

DE FRIDERICO I.

SICILIÆ REGE, ET CÆSARE HUJUS NOMINIS II.

HEnrico vita functo ad Regni habenas tractandas Fridericus (*a*) Sveviæ Dux puer, ac pene infans sub Philippi Patrui tutela assumptus est (*b*), qui anno deinde ætatis suæ XIV. vel XVII. ut aliis placet, Othone Ducis Saxoniæ filio, ac Riccardi Regis Anglorum nepote mortuo, quem Innocentius III. Pont. Max. Imperii infula insignierat (*c*) a Germanis Ducibus Imperator (*d*) est dictus (1) annos

---

(a) *Regni habenas suscepit, statim mortuo Henrico, Constantia Augusta Friderici mater, quæ vere Siciliæ heres erat. Fridericus enim adhuc Assisii a Ducibus Spoletanis educabatur, nec matri restitutus est, nisi post obitum patris, et dein Panormi regia corona redimitus est anno* 1198.

(b) *In tutela Philippi patrui fuisse Fridericum, quamvis nonnulli, et inter hos* **Baronius** (in ann. ad an. 1197.) *asserant, fidenter negamus, et licet demus forte hunc bonorum, quæ in Germania Fridericus possidebat, curam gessisse, nihilominus in Siciliæ gubernatione nihil egit, in qua sola Constantia regnavit, sola Germanos omnes, quos Siculi odio prosequebantur, extulit, sola Innocentium III. Romanum Pontificem, cujus amicitiam peroptabat, filii tutorem, et nutritium, et Siciliæ* Balium, *ut* βαιβχμκῶς *dici consuevit, elegit.*

(c) *Conqueritur Fridericus apud* **Petrum** *de Vineis* (T. I. Epistolarum lib. 1. *Ep. XX.*) *de Innocentio III. quod Othonem diademate Imperiali exornaverit, tametsi ejus tutor esset, qui jamdiu fuerat Rex Romanorum electus*: Othonem, inquit, de Saxonia veterem adversarium nostrum, et domus nostræ in Imperatorem, in nostrum præjudicium consecravit.

(d) *Cum Imperii Electores Bambergæ congregati Othonem Imperio privarunt, Fridericus ut Romanorum Rex agnitus in omnibus ferme Germaniæ urbibus est, Othone in Ducatum Brunsuicensem, postquam victus a Friderico est, recedente, nec de Imperio amplius cogitante. Quamvis vero Fridericus velut Imperator ubique salutaretur, Diadema nihilominus Imperiale non recepit Romæ, nisi elapsis septem annis, scilicet anno* 1220. *Otho itaque vivebat, dum tamquam Imperator habebatur*

annos præterea XIX. natus salutis vero MCCXX. mense Novembris in festo S. Cæciliæ ab Honorio III. qui in Pontificatu successerat, Romæ Hugonis Ostiensis Episcopi opera Imperialem infulam induit, quamvis ab eodem, ut paulo post dicemus, anathemate fuerit percussus (*e*).

Hic ex Constantia (2) Aragonum Regis filia (quam anno a recuperata salute MCCLX. Decembris die XVIII. (*f*) ex Hispania ad

H id

---

tur Fridericus; mortuus enim est anno 1218. quamvis ille Imperialem coronam nisi biennio post Othonis mortem, non receperit. Caussa vero, ob quam Innocentius III. et deinde Honorius III. tandiu distulerint Friderici caput imperiali corona cingere, non una ab omnibus traditur; sunt enim, qui arbitrantur, incongruum visum fuisse Romanæ Ecclesiæ alium agnoscere Augustum, dum adhuc viveret Otho, quem Innocentius idem coronaverat, tametsi a Principibus Germaniæ ab Imperio decidisse fuerit declaratum. Aliis vero placet, Pontifices in longum rem protulisse, quod sperarent, Fridericum ambitione Imperialis Diadematis multa concessurum, quæ in bonum Apostolicæ Sedis cederent: quod factum est, quamvis Fridericus, recepta deinde corona, promissis minime steterit. Hoc vero et elapso seculo Imperatores minime curarunt Romam proficisci, ut a manibus Pontificis Imperii sertum reciperent, quam cæremoniam haud necessariam censuere, ut Imperatores dicerentur, Imperialemque auctoritatem exercerent.

(e) *Honorius III. nunquam excommunicationis fulmen in Fridericum intorsit, tametsi eam aliquando minatus fuerit, si Augustus, ut voverat, bellum in Oriente adversus Sarracenos cum cruce signatis non moveret. Quoad Honorius vixit Sacerdotium inter, et Imperium quandoque optata necessitudo regnavit, quandoque vero inimicitiarum nonnulla semina sparsa sunt, sed non talia, ut concordiæ vincula penitus effringerent, Pontificemque ad jaculandas censuras adegerint. Querimoniæ parte ex utraque, quod data fides fuerit fracta, auditæ sunt, et comminationes, quæ tamen amicorum ope, novisque factis conventionibus cessavere. Ita narrant synchroni ferme omnes scriptores, quidquid Schendius, Platina, et Bondius contra referant.*

(f) *Discrepant Historici in designando die, et mense, quo Constantia Panormum venit. Surita enim Februarium mensem indicat, Pirrus antecedentem Decembrem, diemque ejus vicesimum octavum. Vitus de*

id remeantem uxorem primo duxit) Henricum (3) (quem ut male de se meritum Marturanæ in Calabria , cum duobus ejus liberis (*g*) perpetuo carcere addixit) , et Corradum (*h*) filios suscepit. Constantia vero Catanæ XXIII. Junii anni MCCXXII. defuncta , ac Panormum postea translata , et in marmoreo sepulchro condita Jolem (4) Joannis Brennæ Hierosolymorum Regis filiam secundam sibi ascivit uxorem , ex qua Henricum alterum progenuit (*i*) . Hisce vero

---

de Amico mensem eumdem Decembris , sed diem vicesimum sextum . Id vero parum refert .

(g) *Fuerat Henricus anno 1220. Romanorum Rex electus , et anno 1222. Regiam coronam susceperat . Cum in Italia contra civitates Lombardiæ Fridericus bellaret , pessimorum consiliariorum suasu , et forte Gregorio IX. clanculum rebellionem fovente , anno 1236. a patre descivit , qui cum in Germaniam incendium extincturus advolasset, filium facti pœnitentem , et veniam implorantem amplexus est . Sed nova cum moliretur, præcepit, ut carceri manciparetur, et primum in Apulia in Castro S. Felicis , deinde in Calabria in arce Nicandri, et tandem Marturanæ moratus est, et post sex annos mortuus fuit . Fert Joannes Boccacius* (de casibus Virorum Illustrium) *Fridericum ejus misertum ad se vocasse, ut in gratiam restitueret, qui cum patris iram adhuc pertimesceret , dum a Ministris ad Fridericum duceretur , Pontem transiens equum vehementer incitans , in flumen se præcipitem dedit. Sed Riccardus a S.Germano ejus ætatis scriptor Henricum naturali morte obiisse testatur . Hujus imprudentis Principis filios , narrat Pirrus , Fridericum , et Henricum fuisse nominatos , eosque patris quoque iniquitatem tulisse contendit . Nos vero apud magnæ notæ scriptores hanc pœnam eos subiisse minime legimus .*

(h) *Conradum non Constantia, sed Jole secunda Friderici uxor enixa est . Illa enim unicum eidem pepererat filium , Henricum scilicet , de quo egimus . Nam Conradus natus est Andriæ in Apulia anno 1228. cum Constantia , ipso Paternonio testante , fatis cesserit an. 1222.*

(i) *Jole Conradum , ut dictum est , genuit . Henricus Elisabeth tertiæ Friderici uxoris a Joanne Angliæ Rege natæ postremus filius fuit, quæ statim ac eumdem peperit , mortua est . Hæc duos alios filios marito dederat , Jordanum videlicet , qui infans decessit , et Agnetem . Paternonius hanc ignoravit Principem , quæ tertia fuit Augusti conjux. Ceterum Jole anno 1228. mortua est, Henricus vero natus ann. 1234.*

vero secundis nuptiis jus ad Hierosolymæ Regnum, et ipse (*l*), et qui deinceps in Sicilia sibi successere, Reges sunt adepti, quo factum est, ut in hanc usque diem, qui Siculis præsunt, et Hierosolymorum quoque Reges dicantur.

Cum autem jura, resque Ecclesiasticas ubique usurparet (*m*), Cardi-

(l) *Jure quidem uxorio. Hæc vero nomenclatura, qua nostri Principes Reges etiam Jerusalem dicuntur (quam tamen nonnulli alii Monarchæ sibi vindicant) ostendit Conradum, non Henricum Joles filium fuisse; si enim hæc Hierosolymorum Regina Henricum peperisset, hoc sine filiis mortuo, nullo jure Siciliæ Reges eo potiri poterant Regno, cum Conrado, non Henrico succedant.*

(m) *Quæ auctor heic enumerat Friderici Augusti crimina, omnia a Guelphis scriptoribus pene hausta sunt, et a Pontificiæ factionis defensoribus huic Principi attributa, quibus plerique ex nostratibus, plus æquo historicis ejusmodi fidentes, acquieverunt, et eorumdem facinorum, nullis criticæ artis adhibitis regulis, universim reum Fridericum fecerunt. Non nostrum heic est, qui perbreves tantum scribimus adnotationes, apologiam ejus texere, atque scelera, quæ hostes huic Imperatori appinxerant, vel omnino falsa, vel non ita gravia, qualia dicta sunt, fuisse ostendere. Forte fortuna, cum Deo favente, civilis nostra Siciliæ Historia prodibit, palam fiet, Fridericum non adeo iniquum, ut ferunt, in Ecclesiasticas personas, et res fuisse; Mauros in subsidium tunc vocasse, quando Vaticana Innocentii IV. fulmina subditos omnes Christianos ab eo distraxerunt; tantum abesse, ut in hæresis suspicionem inciderit, ut etiam formidabilis fuerit hæreticorum persecutor; tandemque blasphemias, de quibus traducitur, librumque* de tribus impostoribus, *cujus auctor nuncupatur, calumnias eorum esse, qui sive cuperent Curiæ Romanæ gratiam aucupari, sive quod hostes Imperatoris essent, odioque eumdem prosequerentur, hæc excogitarunt, ut universorum invidiam atque odium ipsi crearent. Cum inimicitiæ inter Principes ardent, id cavendum historico est, ne scriptoribus unius, vel alterius ex adversis partibus facile credat, nec eos audiat, nisi quos scit a partium studio penitus alienos, quod si tales non invenerit, ut ætate Friderici, qua Europa omnis in Guelphos, et Ghibellinos dispertita erat, facta attendenda sunt, pensanda rerum adjuncta, cunctaque conferenda, ut veritas aliquo modo educi possit; quod quidem si veritati detegendæ lucem non afferat, non est temere di-judi-*

dinales (5), et alios Romanæ Ecclesiæ Antistites ad Concilium venientes interciperet, Maurosque, quibus omne genus tyrannicæ erudelitatis exercuit, ex Africa mercede contra Pontificem conduceret, et ut hæreseos suspectus, nec non blasphemus haberetur, annos quinque antequam e vivis excederet, salutis vero MCCXLV. Imperio, et Regnis omnibus Lugduni ab Innocentio IV. (*n*) Sancto Ludovico Franciæ Regem agente (*o*) coacto concilio abrogatus est, cum-

---

judicandum, nec Principibus, qui imagines Dei sunt, aliisque viris Ecclesiastica dignitate conspicuis turpis, et ignominiosa nota est inurenda, sed a ferendo judicio abstinendum.

(n) *Ex quo Innocentius IV. Petri Cathedram conscendit, cœptum est de pace Ecclesiam inter, et Imperium componenda agi, amboque hi Principes eandem exoptare visi sunt, tandemque die tricesima prima Martii anni* 1244. *quæ erat feria V. Majoris Hebdomadæ, concordia subscripta, et jurata coram Papa est a Friderici oratoribus.* (vide Matthæum Paris in Hist. Maj. ad ann. 1244.) *Sed cum Pontifex vellet, ut conventa pacta prius Augustus exsequeretur, quam excommunicationis vinculis, quibus vinctus erat, ipsum exsolveret: Fridericus contra contenderet, necesse esse, ut absolutio præcederet, subsequeretur vero promissorum executio, tam felicia pacis principia evanuerunt. Scilicet Innocentius et Fridericus, sibi mutuo diffidebant: suspicabatur hic, si pacta servaret, non facile absolutionem impetraturum, timebat ille, si fidelium societati Augustum restitueret, hanc pacta non servaturum. Pace infecta Innocentius, vel quod insidias Friderici vereretur, ut Guelphi dictitant, vel quod exsequi cuperet, quæ jamdiu in corde gerebat, ut Ghibellinis arridet, Roma discessit, et fugiens, sive fugam simulans, Lugdunum venit, ubi habito concilio Cæsarem diris devovit, Regnisque et Imperio exspoliavit. Id vero animadversione dignum ea in re est, sententiam contra Fridericum latam a solo Pontifice fuisse pronunciatam, nec quempiam Prælatorum, qui concilio interfuerant, eidem subscripsisse.* (vide Fleury Hist. Ecclesiast. T. LXXXII. num. 29.)

(o) *Adeo a vero alienum est quod aliquibus placuit, S. Ludovicum Francorum Regem operam navasse, ut Fridericus Imperio, et Regnis privaretur, ut potius contradixerit, nihilque intentatum reliquerit, ut hunc Augustum cum Pontifice conciliaret, licet irrito conatu adniteretur. Ceterum noluit in Gallia concilium celebrari (Lugdunum enim ea tempestate*

cum antea ab Honorio III. et Gregorio IX. (*p*) publicis etiam tabellis a fidelium communione fuerit sejunctus.

Moritur (*6*) autem in Florentino Apuliæ Oppido (7) a Manfredo filio ex pellice Lombarda prognato, pulvinari compressis faucibus strangulatus (*q*) anno MCCL. die Sabato XIII. Decembris, Imperii sui

state Imperialis civitas erat suo Archiepiscopo etiam in temporalibus subjecta) nec Papam sedem in regno suo figere , ut optaverat , quod idem negatum est Innocentio IV. a Regibus Angliæ, et Aragoniæ, cujus rei caussa fertur, Pontificem indignatum dixisse , sibi opus esse , cum Friderico reconciliari, ut hoc placato dracone, nullo negotio posset minores angues (Gallum , Aragonium , Anglicum) proterere .

(p) *De Honorio III. satis dictum est, non constare, quod uspiam excommunicationis gladio Fridericum percusserit , quamquam ad terrorem, et ut eumdem Ecclesiæ Romanæ fidelem conservaret , sæpissime eamdem minitatus sit censuram. Sed de Gregorio IX. non est dubium, hunc non semel , sed bis , et ter eundem Augustum excommunicasse . Hic vero Pontifex præterea Regna Friderici interdicto subjecit , atque Gregorii VII. vestigia secutus populos ejus subditos a juramento fidelitatis liberos declaravit .*

(q) *De Manfredo disputatur , num nothus , an legitimus fuerit Friderici filius . Si Guelphos audias scriptores, omnes universim spurium dicunt , si Ghibellinos consulas , inter legitimos accensendum adserunt , cum putent Blancam Lanceam, ex qua natus est , unam ex uxoribus hujus Imperatoris fuisse , cui Comitatus Gravinensis , Tricarici , et montis Caveosi* sponsalium tempore nuptiali donatione (*ut legitur in ms. anonymi cujusdam apud Pirrum* in chron. Regum Sic. pag. m. 49.) donati a viro sunt . *Verum media nobis arridet via , Manfredum videlicet a Blanca progenitum , cum nondum Friderici uxor erat , sed deinde per subsequens matrimonium legitimum fuisse filium declaratum . Hujus rei testimonium in Matthæo Paris reperimus qui* (Hist. Maj. ad annum 1249. pag. m. 513.) *narrat , Blancam , cum in gravem morbum incidisset , et proxime esset moritura , cumque ad eam visendam Fridericus accessisset , eumdem lacrymis exorasse , ut quoniam filium eidem pepererat , se in uxorem duceret , filiumque legitimum declararet , ne meretricio cum dedecore moreretur , Augustumque ejus ploratibus motum obsecutum eidem fuisse , advocatoque Berardo Archiepiscopo Panormitano , qui ejus*

sui anno XXIX. ætatis vero LIII. Innocentio IV. Pont. Max. relictis Conrado ex Constantia (r), et Henrico ex Jole uxore secunda, vel ut innominato cuidam auctori in *codice* ms. placet, ex sorore Regis Angliæ, quam tertiam sibi in matrimonium copularat (s), legitimis filiis; nec non Manfredo, quem Pater Tarenti Principem crearat, Encio, qui Sardiniæ Rex a Patre Præfectus, captus tandem a Bononiensibus, obiit in vinculis, et Friderico (t) spuriis. Ejus corpus Pactas (u) primum, deinde Panormum translatum porphyretico mau-

---

ejus semper lateri inhærebat, nuptias juxta Ecclesiæ ritum celebrasse, et Manfredum inter legitimos filios cognovisse. Plura ad rem hanc confirmandam in binis Epistolis de Manfredo scriptis T.V. Opusculorum secundæ collectionis Auctorum Siciliensium attulimus, et forte adducemus in Historia civili, quæ hic brevitati consulentes missa facimus. Hunc vero Principem patris mortem properasse, et parricidium, ut Paternonius indicat, commisisse, somnium Guelphorum fuit; nec enim (ut omittamus Manfredum pietate, et virtutibus enituisse) erat, cur Genitoris, a quo tanta beneficia receperat, mortem sollicitaret; Regnorum enim, et Thesaurorum, quæ Fridericus relinquebat, non ipse, sed Conradus ejus frater natu major heres erat. Quod si suffocatus, ut nonnulli adserunt, ejus pater mortuus est, non hinc consequitur Manfredum violentas manus ad eum pulvinari strangulandum injecisse. Quamvis enim complures narrent, eundem dysenteriæ morbo obiisse, non desunt nihilominus, qui angina laborasse referunt, quod genus morbi acutissimi est, quo fauces anguntur, et impedita respiratione infirmus facile moritur suffocatus.

(r) *Corradum ex Jole, non ex Constantia fuisse natum, satis superque demonstravimus.*

(s) *Hæc fuit vera Genitrix Henrici, ut ex annis, quibus Jole mortua est, et Henricus cœpit lucem aspicere, ostensum est.*

(t) *Hic Antiochiæ Principatum obtinuit, et Tusciæ Rex a patre nominatus fuit, sed vere sub nomine Friderici de Antiochia passim venit: legitimum fuisse plerisque placet, natumque ex Ruthina Othonis comitis Wolfferbzlozen filia, quam quartam fuisse Friderici Cæsaris uxorem contendunt. Vide* Pirrum in Chronol. Regum Sic. pag. m. 45.

(u) *Friderici cadaver ex oppido Florentino magna cum pompa Tarentum fuisse traductum, ex hujusque urbis portu Panormum recta pervenisse scimus; forte ventorum vi potuit navis Pactas pertingere, quemadmodum Fazello placuit.*

mausoleo in Templo maximo per Bernardum ejus urbis Episcopum conditum est (δ). Ceterum fuit Fridericus multarum linguarum peritia præditus, ad hæc et bonarum artium disciplinas officiose promovit; studiosissime curavit, ut Ptolomei Almagestum ex Sarracenorum idiomate latinitate donaretur. Unde factum est, ut mathematicæ disciplinæ, quæ multis jam annis Europa exulaverant, velut postliminio redierint. Animo præterea, corporisque dotibus, ac militia inter Principes sui temporis præclarissimus, laboris patiens, ad pericula subeunda strenuus, inter ipsa discrimina magni consilii, liberalis, magnificus, Regii splendoris, quo nullus a Carolo Magno, qui Romanum tenuerat Imperium potentior (x); siquidem in Syriam magno comparato exercitu cum trajecisset, Sultanum ad Hierosolymam restituendam coegit (y) ubi ipso solemni die Dominicæ Resurrectionis festo salutis MCCXXIX. Regni, Civitatisque Jerusalem corona redimitus est (z). Ob has ingentes animi

---

(x) *Verba hæc ex integro, ex Fazello exscripta sunt* Dec. II. lib. VIII. cap. 2. pag. m. 14.

(y) *Vere Fridericus eo animo in Orientem navigavit, ut Regnum Hierosolymitanum adipisceretur, sive ut Gregorio IX. Rom. Pont. morem gereret, sive ut Conrado ejus ex Jole Jerusalem Regina filio hereditatem a Sultano occupatam recuperaret. Sed cum in portum Ptolemaidis, quem S. Joannis de Acri nuncupant, pertigisset, miratus est, tantum abesse, ut Patriarcha Hierosolymitanus, equitesque S. Joannis, et sacri sepulchri eidem in hoc bello opitularentur, ut etiam ille ipsum publice excommunicatum pronunciaverit, hi vero obtestati fuerint, se arma adversus Sarracenos haud sumpturos, quando belli summa in ejus esset manibus, qui erat a fidelium communione sejunctus. Scilicet Gregorius Epistolas in Syriam direxerat, quibus vetabat, ne Principi censuris innodato auxilium ullum subministrarent. Soli Theutonici Friderico, ut proprio Principi, obtemperabant. Eam ob rem Augustus sibi dolum parari pernoscens finxit, se velut gregarium militem eorum mandatis in hoc gerendo bello obtemperaturum, et interim ad Sultanum nuntios misit, a quo non minis aut armis, sed auro obtinuit, ut Hierosolymitanum Regnum, cujus certus heres Conradus erat, sibi cederetur.*

(z) *Conventione Fridericum inter, et Sultanum facta, de qua ceteri Christiani murmurarunt, Augustus Hierosolymam, capiendi ergo Regni*

mi sui virtutes ejus sepulchro hoc Epitaphium inscripsere nonnulli:

Si probitas sensus, virtutum gloria census
Nobilitate orti possent resistere morti,
Non foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

AD-

Regni possessionem pervenit. Cum vero Patriarcha Hierosolymitanus, ut impediret eum Regia corona exornari, Episcopo Cæsareensi præscripserit, ut interdicto Ecclesias Jerusalem subjiceret, ne sacra proinde mysteria celebrari possent; Fridericus nihil penitus commotus est, cumque nemo Episcoporum auderet Diadema regium, quod super Altare collocatum erat, eidem imponere, loco surgens ad Altare perrexit, assumptamque manibus coronam proprio capiti aptavit, singulari prorsus, et raro coronationis exemplo. Audiens deinde sibi in Italia a Pontifice insidias parari, quanta potuit celeritate in Apuliam se restituit. Vide Riccardum a S. Germano in Chron. ad an. 1229. et Bzovium in annalibus *eodem anno*.

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Dum hæc in Italia fiunt Alphonsus nominis hujus Castellæ Rex VIII. (a) Bæchiam a Mauris diu occupatam, cæsis apud Navas Tolosæ ducentis hostium millibus, vigintiquinque tantum desideratis ex suis, recuperavit anno salutis 1212. Julii die 16. Auctor est Rodericus Archiepiscopus Toletanus, qui bello interfuit, lib. VIII. tum idem Rex Alphonsus in litteris ad Pontificem Maximum datis.

2. Nempe Alphonsi II. nec non Petri item II. sorore ex Sanctia Matre: ex Hieronymo Surita, *Annalium lib. II. cap.* 55. qui docet Constantiam hanc nupsisse primo Emerico Hungariæ Regi.

3. Hic in Romanorum Regem electus, quod Siculum, et Neapolitanum Regna sic affectavit, ut Patri bellum indixerit, in vincula conjectus, inedia, seu veneno, ut volunt alii, extinctus est (b), ac Cossentiæ in Æde majori tumulatus est. Illescas *in Gregorio IX.*

4. Hanc, quod apud Patrem esset conquesta propter stuprum ingenuæ Puellæ, quæ sibi adserviebat, illatum, in carcere verberibus primo affectam necavit (c). Hic quoque notandum Hieronymum

I Su-

(a) *Hic tertius fuit Castellæ Rex, etiamsi VIII. et quandoque IX. a quibusdam dicatur.*

(b) *Nec inedia, nec veneno extinctum Henricum fuisse, genusque ejus mortis ex synchronis scriptoribus jam monuimus in adnotationibus ad textum, ubi etiam advertimus rebellionem in Germania, non in Regnis Siculo et Neapolitano ab eo fuisse suscitatam, ibique ab Augusto extinctam.*

(c) *Hanc de Jole historiolam somniarunt Ricordanus Malaspina, et Joannes Villanus, etsi discrepent, cum hic non ancillam, sed Joles consobrinam eam fuisse narret, cum qua Fridericus cubaverat. His vero, quod Guelphi fuerint, fidem in factis, quæ Fridericum respiciunt, non esse præbendam monet Muratorius* in præf. ad Hist. Joannis Villani Rer. Ital. T. XIII. pag. 3. *Nec verberibus itaque, nec carcere, afflixit Jolem Fridericus, sed impense eamdem adamavit, quod Conradum, qui ejus heres fuit, eidem pepererit, et nimium indoluit, cum rapta e terris*

Suritam *lib.* 3. *cap.* 68. hanc non Jolem, sed Constantiam, sicut et primam appellare.

5. Refert Joannes Andreas Jurisperitus, Fridericum ita (*d*) scripsisse, ubi Cardinales captos accepit:

Omnes Prælati Papa mandante vocati,
Et tres Legati veniant hucusque ligati.

Quæ carmina ita vertit Collenutius:

Tutti i Prelati dal Papa chiamati,
E i tre Legati a me vengan legati.

Is idem Fridericus Gibellinorum, Guelforumque factiones primus in Italiam invexisse dicitur (*e*), ut Otho Frisigensis docet, et sequitur

---

ris fuit. Simultates vero, quæ Augustum inter, et Joannem Brennam exarserunt, non hanc habuere caussam, sed quod cœperit Fridericus Regni Hierosolymitani redditibus, post contractas nuptias, frui, quos sperabat Joannes, qui Regnum renunciaverat, sibi relinquendos a divite Cæsare, ut posset commodius vivere.

(d) *Nihil sane Gregorii IX. animum magis ad iracundiam provocavit, universamque Romanam Curiam, et Guelphorum factionem ad ultionem excivit, quam Cardinalium Legatorum Pontificis, et Prælatorum, qui ad Concilium Lateranense pergebant, captivitas, quæ accidit in mari prope Pisas, Entio Rege Sardiniæ classem Siculam moderante. Tum vero exitialis exorta est, et perpetua inter Fridericum, et Gregorium, Cælestinam IV. et Innocentium IV. inimicitia, quæ non deferbuit, nisi Svevorum familia per Conradinum penitus extincta.*

(e) *Fovit atique, non invexit in Italiam ejusmodi factiones Fridericas. A Conrado enim III. Imperatoris ætate eas in Germania natas Italiam pervasisse, dictum ab ipso auctore est in adnotationibus ad Rogerium II. Normannum; Innocentius scilicet II. adversus Conradum excitavit Guelphonem Bavariæ Ducem, eique pecunia, et copiis suppetias tulit. Exercitus vero, cam jamjam essent pugnaturi, signum, ut consuetum est, receperunt. Signum Bavarorum erat* Welff, *quod pronunciatur* Guelff. *Cæsareorum vero* Wieblins, *quod profertur veluti* Guiebelins. *Hinc factum est, ut qui pro Duce Bavariæ atque adeo pro Papa militarent, ex hoc signo* Guelphi, *qui vero pro Imperatore,* Guibellini, *corrupta voce, et corruptiore,* Ghibellini *dicerentur. Non me latet Fazellum scripsisse, Fridericum, cum Italiam circumiret, eos qui sibi favebant, Ghibellinos vocasse, Guelphos vero Pontificis fautores, atque subdi-*

quitur Illescas in *Gregorio IX*. Vide cetera, quæ nos in Rogerio II. adnotavimus.

7. Tradit Illescas in *Innocentio IV*. obiisse illum Panormi, quo auctore nescio.

8. Fridericum hunc eumdem D. Agatha Catanensium tutelaris e-re, quam in eos moliebatur, miraculo deterruit. Cum enim defecisset ab eo Catana, sicut et Messana, Syracusæ, Nicosia, et Centuripe anno salutis MCCXXXII. (si defectio tamen dici potest ea, quæ in Regem sit, qui a Pontifice maximo Regnis, titulisque omnibus jure sit spoliatus (*f*) quique Henrico successit, qui injuria Siculos, ut dictum est, invasit) ejus devictos incolas ad unum trucidare decrevit. Verum dum summo mane, antequam pronunciaret sententiam, horas precarias B. Virginis de more recitare vellet, in singulis libri pagellis aureis characteribus hæc sibi verba divino nutu legenda afferebantur: *Noli offendere Patriam Agathæ, quoniam victrix injuriarum est* (*g*). Quo miraculo territus a tanto facinore cum

I 2 abs-

---

didisse: (Dec. 11. lib. VIII. cap. II. pag. m. 10.) Quod execrandum factionum a Friderico inventum, ac barbarum, Germanumque nomen ad meam usque ætatem in Italia adhuc perseverat. *Sed falsus est, ut patet, et propterea corrigendus, quod Abbas Vitus de Amico facere neglexit*.

(f) *Seditiosa hæc est propositio, neque hac ætate toleranda, quæque opus est, ut atro loliginis succo deleatur*.

(g) *Fabellam hanc post varios Catinenses scriptores nobis propinare conatus est, eruditissimus ceteroqui, sed non satis in arte critica peritus, Abbas Cassinensis Vitus Amico* (Cat. sacræ T. II. lib. V. cap. III. §. XV.) *qui non alios testes affert, nisi Horatium Manchiam* in Opusculo mss. apud Grossum, *Paternonium nostrum in hoc* de Regibus Siculis, *quem publici juris facimus, libro, et Bolanum, quorum auctoritas in re tanti momenti, in qua illius ætatis omnes conticuere Historici, quanti facienda sit, nemo est, qui non videat. Nos sane factum ipsum negamus, Riccardus enim a S. Germano* (in Chron. ad ann. 1232. apud Murat. rer. Ital. script. T. VII. parte 1031.) *solam memorat Messanæ, et Centoripis, seu Centurbii defectionem. Et Fazellus, tametsi addat Syracusas, et Nicosiam, quas dicit ab Imperatore rebellasse, de Catina nihilominus ne verbum quidem protulit. Inveges tandem* (in Annalibus Panorm. parte III. pag. 574.) *licet id enarrasse Carre-*

abstinuisset, Urbem tamen solo fere æquavit (cum antea Sextus quoque Pompejus una cum reliquis Siciliæ civitatibus eam devastasset, quamque deinde Augustus Cæsar, ut *lib. 6.* auctor est Strabo, restituit) arcemque in ea, quæ adhuc extat, in civium formidinem a fundamentis extruxit. Pœnitentibus tandem incolis, ac supplicibus, ut urbem humili structura, et lutea restituerent, indulsit. Verum Fridericus II. Siciliæ Rex mœnibus deinde turres addidit. Martinus mox, ut domos, qua vellent altitudine, ornatu, ac magnificentia, calceque firmarent, concessit. Centuripen quoque Urbem, quod contumacius ab eo descivisset, funditus delevit. Centuripinis vero Augustam Urbem, quam anno MCCXXIX. condiderat, habitandam concessit.

(*h*) Non possum me hoc loco cohibere, quin digrediar tantisper, vindicemque Catanam Patriam meam ab injuria, qua quidem illam afficiunt: Divam Agatham Panormi, non Catanæ natam, nescio qua pia ducti æmulatione asserentes, quamvis divinum illud oraculum, *Noli offendere Patriam Agathæ*, nuper a nobis citatum, id apertissime do-

---

veram adierat, non propterea Catinam infidam fuisse Friderico, et miraculum illud accidisse credidit. Recte Pirrus (Eccl. sic. not. 1. p.35.) *monet in ea controversia, quæ Romæ de S. Agathæ patria agitata est, Catinenses cæleste hoc oraculum protulisse, qui subdit*: Sed a Panormitanis rejiciebatur, quod nullus ejus rei certus auctor afferretur, qui per ea Friderici tempora scripsisset; et pleraque sæpe in vulgus spargi, quæ incerta sunt, ajebant. *Lis sane finita esset, si quæ vulgo fertur a Catinensibus historia, a vero non aberasset. Quod vero Fridericus consueverit precarias horas B. Virginis pronunciare quotidie, nec in Manchiæ* msc. *legimus, qui solas horarias preces nominat. Nunquid non poterat officium divinum, quod laicis quoque in usu erat, recitare? quamvis neutrum, suspicor, Friderico fuisse familiare, quem scimus non adeo devotum fuisse.*

(h) *Parcendum huic Catinensi Viro est, si dulci patriæ amore ductus, et extra chorum cantans longa hac adnotatione lectores suos enecat. Nostra hic nihil refert de hac percelebri quæstione verba facere, quæ diu Panormitanos inter, et Catinenses agitata est, et quam Curiales Romani, postquam contendentium sacculos exhauserunt, in medio relinquere duxerunt; satis multa ea de re scripta a Panormitanis sunt. Inutile est investigare, cujus patriæ fuerit Agatha, modo Sicilia eam cælo pepererit.*

doceat. Habent hi Auctores aliquot, qui cum unum Simonem Metaphrastem citent ex nomine, ac sequantur, unus omnium procul dubio habetur Auctor. Panormitani vero ex quadam suorum Patrum omnino falsa, fabulosa, ac a vero prorsus aliena traditione, ut deinde ostendemus, id conantur adstruere, nempe D. Agatham pro Christo mori cupientem Panormo Catanam, ubi Prætor impius tunc degebat, mulione quodam ascito itineris socio fugam arripuisse, in cujus rei testimonium foramen quoddam in prægrandi saxo ostendunt, quod pedis illius vestigium esse contendunt, eo ipso tempore, quo equum ascendit, ibi impressum. At si tanti faciunt isti unius Auctoris sententiam, cur quæso multorum quoque doctissimorum virorum, qui eam Catanæ ortam docent, non valebit auctoritas? Proferam ego ex multis aliquos, qui hoc verbis adserant disertissimis, ac deinde nonnullos, ex quorum monumentis facile deduci possit. Demus igitur primum locum D. Vincentio Ferrerio, sanctitate, et doctrina conspicuo in *sermone de B. Agatha*, in quo illud etiam scriptum reliquit, quod Catanenses per manus a majoribus accepere: nempe B. Agatham post patris obitum, erogatis in pauperes facultatibus, ac relictis propriis ædibus, vitam pauperem in paupere, et vili casa egisse, quam ipsi Catanenses in horto quodam, quem a *D. Maria a Gratia* appellant, fuisse memoriæ retinent. Secundo loco addam Breviarium Gallicanum in *Hymno D. Agathæ*, in quo sic legitur: *Lætetur tellus Sicula, Catanensis Agathæ*. Adsit 3. ipsum Breviarium Romanum ex Concilii Tridentini auctoritate institutum, ac Pii V. Pontificis Maximi litteris firmatum· sic autem illud habet: *Agatha Virgo Catanæ in Sicilia nobilibus parentibus nata.* Quid clarius? Est et quarto loco numerandus Mauritius Catanensis Episcopus in *Epistola translationis B. Agathæ*, a Byzantio Catanam anno salutis nostræ 1126. ut nos in Rogerio II. notavimus. 5. Raphael Voloterranus *lib. 1. Geographiæ cap. de locis Siciliæ*, tum *lib. 13. Anthropologiæ*. 6. Petrus Nemmius in fine *Dialogismi D. Agathæ*, et in *Dialogismo de S. Lucia* circa medium. Ceterum in primo citat etiam elogium quoddam Cornelii Musæ in ejus laudem, quod est hujusmodi: *Mentem sanctam habui, crucis aspera sponte subivi, unice Deum colui, Catanæ incendia pressi*. Quod quidem, ex eo quod Angeli ejus capiti, jam pro Christo sponso mortuæ, supposuere, desumptum est, hoc est: *mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, et patriæ liberationem.* Quibus nominibus addunt nonnulli claritatis gratia: *Mentem sanctam habuit, spontaneam se obtulit, honorem Deo dedit, et patriæ liberationem obtinuit*. 7. Baptista Fulgosius *lib. 3. cap. de S. Aga-*

S. Agatha. 8. Joannes Rovisius Textor in *officina tom.* 2. *de Constantia in adversis rebus*. 9. Jacobus Philippus in *supplemento Chronicorum lib.* 8. quo etiam in loco docet Catanam ædificatam esse annis 4458. vel ut aliis placet 4557. ab origine mundi, et 741. ante Christum natum. Tum in *lib.* 8. ubi agit de Martyribus sub Decio annis 5756. a Mundo creato, et 254. ab eo redempto passis. 10. Joannes Baptista Mancheanus in *Festis mense Februarii de D. Agatha*. 11. Franciscus Maurolycus in *compendio rerum Sicanicarum lib.* 1. 12. Hermanus Torrentinus in *Elucidario poetico* verbo *Catana*. 13. Leonardus de Utino in *sermone de D. Agatha*. 14. Benedictus de Uva Monachus Catinensis in opere de *quinque prudentibus Virginibus*, quarum vitas italice, et metrice descripsit. Hic ergo in *vita D. Agathæ* in argumento sic ait; *Agata Vergine e Martire, nacque in Catania nobile città di Sicilia*. Metro deinde 19. idem his versibus concinit:

In questa terra (de Catana loquitur) *Agata nacque, questa*
Le diè prima del Sol la luce amata.

et tandem concludit:

Che fusse di Palermo, è fola espressa,
Anzi non lo sa dir Palermo istessa.

16. (estque testimonium multi ponderis) Urbanus hujus nominis II. qui in diplomate, quo probavit, confirmavitque oblationem a Rogerio I. D. Agathæ factam, cum Episcopatus dignitate Catanam insigniri voluit, sic inquit: *Cum sit D. Agatha nata, et passa Catanæ etc.* 17. Marcus Morulus *lib.* 4. *cap.* 8. et Andreas Eboracensis *T.* 2. *exempl. cap. de castitate*. 18. Evangelista Gottensis in lib., quem scripsit Italice: *Specchio di esempj cap. de castitate, et virginitate.* 19. Antonius Sabellicus, *Exemp. lib.* 9. *cap. de patientia in dolore ferendo.* 20. Baptista Campo-Fulgosius *dictorum factorumque memorabilium lib.* 2. *cap. de patientia*. 21. Franciscus Heræus *in compendio vitarum Ss. per Lipomanum, et Surium scriptarum*, qui omnium postremus, quod ego sciam, scripsit Ss. vitas, qui cum legisset in Lipomano, et Surio D. Agatham Panormi ortam, vi veritatis tamen victus, illorum sententiam repudians, Catanæ natam disertis verbis asserit.

Hi igitur omnes dicunt apertissime D. Agatham Catanæ ortam. Sunt et duo alii, quos ego viderim, qui quamvis id aperte non dicant, ex eorum tamen scriptis facile deducitur, estque numerandus primo loco Vincentius *in speculo historiali cap.* 42. *lib.* 2. qui sic ait: *Sub persecutione Decii B. Agatha passa est, quæ in urbe Catinensium nobilis genere, mente, et corpore pulcherrima Deum semper omni sanctitate colebat*. Nota *in urbe Catinensium*. Sequitur Thomas Fazellius

cap.

cap. 1. *lib.* 3. *dec. p. de rebus Siculis*, ubi cum dixisset Catanæ multum splendoris accessisse ex D. Agatha, innuens deinde ibidem eam esse ortam, ut communi Siculorum omnium habetur consensu, impugnat paucorum aliorum sententiam contrariam his verbis: *quamvis Panormitani de patria contendant*, quasi dicat frustra, absque ratione, ac fundamento contendunt. At dicet aliquis, multos ex jam citatis Auctoribus, non esse multi nominis, nullumque ex his cum Metaphraste comparandum, cum propter antiquitatem, tum propter auctoritatem, qua apud omnes clarus est. Verum est, fateor. At si Cæsar Baronius gravis Auctor juxta ac diligentissimus, qui ob multam eruditionem atque animi virtutes assumptus jam est ad Illustrissimam Cardinalatus dignitatem, illum in suis nunquam sat laudatis Annalibus Ecclesiasticis erroris convincit, cur et in hoc lapsum non arbitrabimur? Lapsi sunt et aliquando vel ipsi Scriptores sancti (homines quippe erant), quid mirum igitur, si Metaphrastes? Scribit is miraculum illud arboris infructuosæ repente a terra ortæ in ipso D. Agathæ digressu Panormo, dum Catanam a lictoribus traheretur. Magnum sane divinæ protectionis indicium, quod propter non possum non vehementer mirari, quod ceteri, qui ejus vitam scripsere, illud silentio præterierint. Suspecta igitur mihi res est. Legi ego in Codice pervetusto, et quidem litteris majusculis toto in Bibliotheca Vaticana Romæ asservato hujus sanctæ Virginis vitam, in quo, quamvis nihil dicatur de patria, hujus tamen arboris nulla fit mentio. Hinc ergo licet conjectari, Metaphrastem in Græcia, quæ a Sicilia multum abest, commorantem falsa alicujus relatione de Patria D. Agathæ deceptum.

Ad illud vero, quod Panormitani asserunt, nempe D. Agatham ad martyrii coronam anhelantem fugam Panormo, ascito mulione quodam, itineris socio, Catanam versus arripuisse, præterquam quod indignum est Virgini nobilissimæ et pulcherrimæ hoc fugæ genus tribuere, aliqua ejus pudicitiam labe inadvertenter adspergeret. Ceterum vestigium illud, quod ostendunt, nullum est; est enim figuræ orbicularis, concavitatisque profundæ, nec ullo modo pedis humani refert similitudinem, sicut vestigia sunt impressa, quæque D. Agathæ ex majorum traditione fuisse constanter affirmant.

Quod si quæ dicta sunt hactenus fidem apud hos non faciunt, quid ad miraculum illud dudum nobis citatum, *Noli offendere Patriam Agathæ*, objici possit, ignoro; nisi forte quis illud neget, id quod multæ esset temeritatis, atque impudentiæ, expressaque cavillatio.

Le-

Legat qui volet hæc verba Catanæ in domo civitatis publica, quam *Logiam* dicunt, circum circa feretrum illud argenteum, cum quo D. Agathæ corpus Catanenses in die ejus festo cum pompa, lætitia, ac pietate, tota exultante urbe, circumferunt. Possem præterea affirmare illa quoque verba, *Et patriæ liberationem*, de Catana dicta esse, non de Panormo; sæpissime enim liberata est meritis, et precibus D. Agathæ Catana ab incendio, flammisque ex Ætna erumpentibus. Ubi enim apponitur igni velum illud pretiosissimum (*Grimpiam* cives proprio vocabulo dicunt, quoque fama est, Divam illam, dum viveret, caput operire solitam) mirabile dictum illico extinguitur, ac velut superiori virtute frenatæ favillæ continent sese, gelatæque decidunt. Adde præterea omnium hominum memoria, longaque experientia comprobatum, nullum adhuc, qui Catanæ sit ortus, a Dæmone vexatum aliquando fuisse, quinimo sæpe exorcismis exagitatum Satanam, natura sua alioquin mendacem, divina vi tamen adstrictum, fassum tamen esse, se intra Catanensium corpora illabi non posse, utpote a D. Agathæ, quæ id a Christo Sponso impetravit, valenter et acriter prohiberi. Proferrem et alia hujus generis sexcenta, si vellem, sed non est, quod tempus in re luce ipsa clariore teramus.

Nolo tamen præterire silentio id, quod nimis inconsiderate dicunt, Catanam scilicet D. Agathæ patriam dici, ac vere esse, quod ibi passa sit, obieritque; Sanctorum enim obitum diem natalem dici jam usu receptum esse apud omnes, quod morte hac corporis, vivæ nascantur in Cælo ipsorum animæ. Indigna profecto responso objectio; Divum ergo Petrum, Laurentium, aliosque quamplurimos, quod passi sint, ac mortui Romæ, Romanos fuisse asseramus necesse est. Quis unquam talia dicet?

Alii sunt præterea, qui veritatis vi cum se cogi videant, aliud perquirunt effugium. Ajunt enim isti, Catanam dici vere Patriam D. Agathæ, quod ibi illa aliquando vixerit, habitaveritque, ad eum modum omnino, quo Christus Dominus Salvator noster dictus est Nazarenus, quod Nazareth fuerit enutritus, ut D. Lucas cap. 4. scriptum reliquit. Unde et Nazareni, *Quanta*, inquiunt Christo, *audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua*. Frivola sane objectio. Duobus modis (quod ad rem hanc attinet) civitas aliqua alicujus Patria dici potest; habitatione scilicet, et sic Christus dictus est Nazarenus, et origine, seu nativitate. Primo modo non potest dici D. Agatha Catanensis, nec debet, quod sic probatur argumentando ad hominem (utar Logicorum verbis) : nullus ex his, qui

qui vitam D. Agathæ scripsere, imo nec et ipse Metaphrastes, cui innituntur omnes, dixit D. Agatham Catanæ aliquandiu vixisse, seu habitasse. Non ergo dici recte potest Catana secundum ipsos D. Agathæ patria habitatione. At Deus, quem veracem omnino credimus, Patriam D. Agathæ illis verbis: *Noli offendere* etc. vocat. Ergo ex vi argumentationis necessario dicamus, D. Agatham Catanensem fuisse, quod Catanæ sit nata.

Verum enimvero, ut aliquid illis demus, cum scribat Metaphrastes D. Agatham Panormo ab apparitoribus Catanam ad Quintianum adductam (sit ne verum hoc, an non, parum refert) libenter concedimus, Panormi illam aliquando vitam duxisse, et præsertim illis ipsis diebus, quibus fuit a lictoribus capta; unde Panormitanam, si placet, illam habitatione, Catanensem vero nativitate, atque origine dicamus, et in hunc fere modum pias lites facile componemus, eruntque Panormitani, et Catanenses sibi invicem cari sempiternoque fœdere conjuncti, sicut hactenus fuere, et mutuo sese semper diligent, et fovebunt amore.

Addam præterea quæ Baronius in libro notationum in Romanum Martyrologium ait, hoc est S. Damasum Pont. Max. composuisse in honorem B. Agathæ hymnum quemdam, cujus initium est: *Martyris ecce dies*. Duos item alios legere est in Breviario Toletano S. Isidori. Scripsit quoque de D. Agatha Venantius Fortunatus in carminibus *de gaudiis vitæ æternæ*, et in carmine *de Virginitate lib.* 8. Tum S. Anselmus lib. 1. *de laudibus B. Mariæ Virginis*. Ceterum quod ad rem facit maxime, illud unum est, ut hujus S. Virginis virtutes imitari, atque assequi studeamus, cum Cœli, quæ vera patria nostra est, concives simus omnes. Interea lætetur tellus Sicula, Catanensis Agathæ, cujus precatu Cæli ducamur ad gaudia.

DE CONRADO

SICILIÆ REGE

FRIDERICI FILIO.

FRiderico Cæsare mortuo Conradus ex Constantia (1) uxore filius (*a*) Siciliæ Rex sufficitur (*b*). Hic Bavari Ducis filia suscepto Conradino, anno Incarnationis Dominicæ MCCLV. in Italia (*c*) morbo-

(a) *Diximus jam, Conradum non ex Constantia, sed ex Jole Joannis Brennæ filia Friderico fuisse natum, quod ex Illescas in prima adnotatione tandem fatetur Paternonius.*

(b) *Quamquam Friderico extincto, nemo non opinaretur, Innocentium IV. iram adversus Suevos Principes depositurum, ea nihilominus magis crevit, et exarsit, quasi id sibi proposuisset hic Pontifex, universam hanc nobilem Familiam penitus ab orbe evellere. Propterea vix mors Friderici nunciata eidem fuit, cum cœpit populos Siciliæ, et Neapolis per suos Ministros ad seditionem concitare, et ut dominio Sanctæ Sedis subderentur impellere, et cum pedem in Italia fixit Januæ Conradus, eumdem publice excommunicavit. Voti compos factus est, cum tumultus varii in utraque Sicilia exorti post paucos menses fuerint. Sed Manfredus ejus frater, qui non plus, quam decem, et octo annorum erat, cum Regnorum habenas Conradi nomine tractaret, Innocentii conatus irritos vanosque reddidit, populosque seditiosos in officio continuit. (Vide Nicolaum Jansilla in* Historia apud Murat. Rer. Ital. script. T. VIII.)

(c) *In Italiam descendit Conradus mense Octobri anni* 1251. *et insequenti anno in Apuliam pervenit, ceterasque urbes, quæ jugum excusserant, domuit, et præcipue Acerræ Casertæque Comites conflixit. Sed fraternus inter Conradum, et Manfredum amor frigescere paulatim cœpit; scilicet erant ambo moribus oppido adversis, nam Conradus severus, asper, et ad feritatem proclivis erat, contra Manfredus humanus, suavitateque plenus, a violentia, ac severitate abhorrebat, clementiaque et bonitate subditos alliciendos arbitrabatur. Sicut ergo Frater exosum, ita hic carum erat populis caput. Conradus itaque ægre ferens, fratrem universim amari, se vero omnes execrari, ut vindictam sumeret, bonis a patre eidem concessis illum exspoliavit, ejus ex matre consanguineos persecutus est, et morti pro-*

bo, sive veneno (quod verius creditur) Manfredi dolo (*d*) sibi per clysteria dato, ut plerique memorant, absumptus est. Fuit autem Conradus aspectu pulcherrimus, moribus vero exhumanus, et crudelis (2). Ejus immanitatem fugientes Comites Aquinates, Thomam puerilem monachis Cassinensibus commendarunt (*e*), unde tantum hausit divini spiritus, ut inter Divos deinde, S. Dominici Religionem professus, sit relatus, prætereaque, quod litteris addictus fuerit Scholasticorum, ut vocant, Theologorum omnium facile Princeps habeatur.

K 2 AD-

proximus Conradino filio non Manfredum fratrem, sed Bertholdum Demarchum de Hoemburch tutorem destinavit.

(d) *Haud tolerari potest ignominiosa hæc nota inusta Manfredo, quem scriptores omnes ejus ævi amabilem fuisse Principem, et ab omni crudelitate alienum testantur, atque adeo cum Antoninis, et Trajanis comparandum. Sed hæc calumnia, qua bis parricidii Manfredum reum faciunt, in Guelphorum officina cusa est, cujus præcipui artifices fuere Saba, et Ricordanus Malaspina, horumque exscriptor Joannes Villanius. Hi vero adeo secum discrepant in facti adjunctis, ut modo adserant, Manfredum, dum venatum cum fratre iret, Conrado venenum propinasse, modo medici ope, ut eum occideret, fuisse usum, modo tandem Joannem Morum Sarracenum, et Conradi familiarissimum, copiarum Saracenicarum ducem, promissis, et donis corrupisse, qui barbarum hoc scelus commisit. Sed hæc ipsa Florentinorum ejusmodi scriptorum in auctore criminis indicando, incerta varietas, nota singulis Manfredi bonitas, ceterorum, qui ea ætate scripserunt, silentium, et quod nobis quidem judicibus ineluctabile argumentum est, ipsa Innocentii IV. taciturnitas, qui nunquam Manfredo crimini vertit, quod fratrem occiderit, satis probant hujus Principis innocentiam, certoque sunt argumento veram esse illorum narrationem, qui referunt, naturali morbo, et potissimum malignis febribus, quæ ea tempestate in Apulia dominabantur, obiisse. V. quæ scripsimus T. V. Opusculorum Auctorum Siciliensium secundæ collectionis.*

(e) *Divum Thomam Benedictinum primo fuisse, et deinde in Dominicanorum Ordinem transiisse, ut suis negotium facesseret, scripsit Hyacinthus Serry in Opusculo*: de Monachatu divi Thomæ.

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Illescas in Gregorio IX. Conradum ex Jolè, Joannis Brennæ filia, natum ait, qui fuit post Henrici fratris obitum Romanorum Rex, eodem Gregorio approbante, dictus.

2. Ex Collenutio Hist. Neap. lib. 4.

DE

DE MANFREDO

CONRADI FRATRE SPURIO (a)

SICILIÆ REGE.

UBi Conradus e vivis excessit, Manfredus (b) ejus frater spurius, confictis nunciis, Conradinum in Svevia mortuum asserentibus

---

(a) *Cur nothus Manfredus dictus sit, jam animadvertimus in adnotationibus ad Fridericum Augustum primum hujus nominis Siciliæ Regem, et dudum in binis Epistolis insertis T. V. Opusculorum Auctorum Siciliensium novæ collectionis modo citata.*

(b) *Bertoldus, qui Conradini tutor, atque utriusque Siciliæ Gubernator erat, cœpit statim, ut in mandatis a defuncto Conrado acceperat, pacem ab Innocentio IV. petere: sed inflexibilis hic Pontifex noluit Conradinum ut utriusque Siciliæ Regem cognoscere, atque tantum se passurum promisit, ut tamquam Hierosolymorum Monarcha, et Sveviæ Dux haberetur, modo Siciliæ Regnum et Neapolitanæ provinciæ sibi traderentur. Re per oratores a Bertoldo missos infecta, rogatus Manfredus est, ut Romam pergeret tentaturus pacem inter Innocentium, et Conradinum. Finxit Innocentius se pacem optare, multique ab eo propositi fuere reconciliationis articuli, sed dum de his disputaretur, copias unde unde colligebat, quibus fortior factus Conradinum a Regno Siciliæ expelleret. Monitus de secretis Papæ insidiis Manfredus, et sibi verba dari intelligens, illico Anagnia, ubi Pontifex morabatur, insalutato Innocentio, aufugit, et in Apuliam rediit. Cum vero multi regiminis Bertoldi pertæsi a Rege quotidie deficerent, et Pontifici adhærere vellent, hic de eventu hujus belli subdubitans, gubernium dimisit, nec quempiam, qui ei succederet, declaravit. Hæc Regni ἀναρχία tam propitia Innocentii conatibus, tamque utrique Siciliæ perniciosa, Primates, qui Conradino fideles permanebant, movit, ut Manfredum deprecarentur, ne permitteret nepotis ditionem pessundari, et in manus Papæ pervenire, atque ut rerum gubernium assumeret, Regnumque Conradino conservaret. Horum precibus ipsius Bertoldi obsecrationes additæ sunt, qui facti pœnitens, suæque culpæ tribuens, quod omnia susque deque verterentur, et ad certam*

bus Siciliæ (c) ac Neapolis Regna hoc anno salutis MCCLV. occu-

pavit,

tam ruinam pergerent, de eadem re Tarentinorum Principem rogavit. Diu recusavit Manfredus, opus hoc periculosæ in ea temporum conditione, ad quam Siciliam Bertoldus reduxerat, vere plenum aleæ in se assumere, sed tandem repetitis precibus victus cessit, et perquam difficile Regni gubernium nepotis nomine suscepit. Quæ egerit, ut Conradinum cum Innocentio IV. et Alexandro IV. conciliaret, eique Regnum conservaret, tum proprios thesauros profundens, tum ingentes tolerans labores, non est hujus loci indicare. Satis nobis est hic lectorem admonere Manfredum tutorio nomine, et Conradini veluti Vicarium, Neapolim, et Siciliam per duos tresve annos et usque ad annum 1257. vel 1258. administrasse, ut pateat, non statim a morte Conradi, ut Paternonio visum est fictis nunciis de morte Conradini, Siciliæ Regnum occupasse.

(c) *Etiamsi Manfredi virtutem declinasse, cum Regni Diadema assumpsit, in ejusque cor immoderatam regnandi cupiditatem irrepsisse fateamur, non propterea vera esse credimus, quæ Saba, et Ricordanus Malaspina, et post hos Joannes Villanius, ceterique Guelphi scriptores hac de re memoriæ tradiderunt. Horum equidem narrationes si nullo partium studio abrepti ad examen revocemus, videbimus hercle, ex rerum adjunctis, prout ipsi perhibent, eas a veritate omnino abhorrere. Quod certum est nec a quopiam in dubium revocari potest, illud arbitramur, dum Manfredus compositis rebus et tranquillitate Regno adquisita in Siciliam venit, diffusam per universas civitates fuisse de morte Conradini famam (quam utrum Manfredus spargi curaverit, an vero casu fuerit evulgata, definire non ausim). Qua re audita Prælati, Proceresque cuncti Principem hunc deprecati sunt, ut quoniam defuncto jam Conradino, ex Svevorum familia solus remanserat, coronam Regiam reciperet, quorum votis statim acquiescens Manfredus, sivit in Basilica Panormitana inungi, et coronari. Sive autem Manfredus Conradini obitum effinxerit, et per suos evulgari studuerit, et merito reprehendendus erit, quod Nepotis Regnum, quamvis suis Thesauris, suaque virtute conservatum, occupaverit: sive velis eum diffusæ vocis auctorem non fuisse, sed ab aliis mendacem hanc famam fuisse promulgatam, ultro dabis, festinum hoc suscipiendi Siculi Regni consilium vitio minime caruisse, cum necesse fuisset prius explorare, et diligenter perquirere, an vera essent quæ de morte Conradini vulgo circumferebantur. Præterea, cum novit Conradinum adhuc vi-*

pavit, Panormique 10. mensis Augusti die, anno MCCLV. (*d*) sceptris, Regnique corona insignitus est. Verum cum Ecclesiam Romanam acerrime persequeretur (*e*) ab Alexandro IV. Pont. Max. est a fidelium cœtu sejunctus, ac diris devolutus (1). Ut autem ex Regum affinitate firmius sibi devinciret Imperium, Petro Aragonio hujus nominis IV. Jacobi I. (2) Aragonum Regis, quem Fortunatum ob res felicissime contra Mauros gestas appellarunt, filio primogenito, ipso patre abnuente (*f*), Constantiam filiam (quam ex Beatrice de Sabaudia uxore secunda Aymonis Sabaudiæ Comitis III. hujus nominis acceperat) matrimonio copulavit.

Ve-

---

vivere, et anno insequenti Oratores Reginæ Elisabeth ad eum Baroli morantem accesserunt, et de occupato Regno, dum filius viveret, vegetaque esset salute, ejus Reginæ nomine conquererentur, gloriam utique sibi summam acquisivisset, jureque Philosophi Regis nomen fuisset meritus, si statim, quod suum non erat, legitimo Domino reddidisset.

(d) *Manfredus Regia corona redimitus est non anno* 1254. *aut* 1255. *ut nonnullis placuit, sed anno* 1258. *quod pluribus monumentis ostendi potest.* Vide Pirrum in Chronol. Regum Siciliæ pag. m. 55.

(e) *Statim ac Alexander IV. audivit Manfredum Regiam suscepisse Panormi coronam, ira abreptus excommunicavit, et ab officio deposuit Rayualdum Agrigentinum Episcopum, a quo fuerat inunctus, suspendit Surrenti Episcopum, Abbatemque Casini Montis, qui coronationi interfuerant, atque ad se Archiepiscopos Salernitanum, Tarentinum, et Monregalensem, Anagniam vocavit, rationem reddituros, quod Manfredum ut Regem agnoverint: immo fert fama, sequenti anno* 1259. *die* 13. *Aprilis non modo Manfredum excommunicasse, et Regno, verbo tenus, exuisse, sed censuris Prælatos, Magnates, ceterosque, qui coronationi adstiterant perivisse, integrumque Siciliæ Regnum interdicto subjecisse. (vide* del Giudice Vite degli Arcivescovi, Abbati e Signori di Morreale *p.* 10.) *Hæc vero gesta ab Alexandro sunt, non quod Manfredus acerrime Romanam Ecclesiam persequeretur, sed quoniam Diadema Siciliæ, quam ad Ecclesiam Romanam spectasse arbitrabatur, suscepisset.*

(f) *Celebratæ hæ Nuptiæ fuere anno* 1261. *triennio videlicet, postquam Manfredus Rex Siciliæ coronatus est. His vero restitisse Jacobum Aragoniæ Regem, et Petri patrem, apud quempiam Hispanum scriptorem non legimus, nec erat causa abnuendi; nubebat enim Regis filiæ, quæ facile poterat regni heres evadere.*

Verum cum Carolo Angioino Andegavensium Duce ac S. Lodovici Franciæ Regis fratre apud Beneventum congressus Manfredus anno X. ab occupato Imperio occiditur (g). Inique enim ferens Urbanus VI. Pont. Max. qui Alexandro in Pontificatu successit, Manfredum Siciliæ Regnum invasisse, Carolum ad Manfredi viribus obsistendum anno MCCLXIV. advocavit, cui deinde Clemens IV. genere Francus (Urbano tertio sui Pontificatus anno vita functo) utriusque Siciliæ Regnum præter Beneventum et Jerusalem (2) concessit, diademate per Cardinalem Legatum, Perusii tunc degente Pon-

---

(g) *Manfredus omnem movit lapidem, ut pacem cum Alexandro IV. haberet, jamque hic Pontifex reconciliationi aures præbuerat, eumque Principem velut Regem habere promiserat, sed duas paci conditiones apposuit, quarum unam Manfredus admisit, alteram spondere non potuit; pollicebatur scilicet se in Regnum exules omnes, qui Pontifici faverant, recepturum, iisque bona, quæ Fiscus tenebat, reddituram: sed restitit expulsioni Sarracenorum, quam Alexander petebat, quorum viribus regnum conservaverat, immo se novas eorum copias ex Africa ducturum declaravit. Hinc novæ inter Sacerdotium, et Imperium dissensiones, quæ diu perdurarunt, Alexandro etiam mortuo, Pontifices gerentibus Urbano VI., et Clemente IV. Primus horum natione Gallus, Siciliæ Regnum, quod ejus prædecessor Alexander Regi Anglorum, putans in manu Papæ esse Regnorum distributionem, concesserat, Ludovico Regi Francorum exhibuit, et quamvis piissimus Ludovicus principio exhorruerit, criminisque loco habuerit, alienas res occupare, tantum nihilominus apud eum Urbanus egit, ut simplici huic Principi persuaserit, se teneri inimicos S. Ecclesiæ, qualem Manfredum esse jactitabat, armis invadere, bonisque exspoliare. Quapropter Bullam Urbani per Cardinalem* del Tong *sibi exhibitam acceptavit, per quam Siciliæ Regnum in Carolum ejus Fratrem transferebatur, et spopondit se cum fratre, ad Siciliam utramque conquirendam exercitum statim destinaturum. Sed fatis cessit Urbanus antequam voti fieret compos. Sub Clemente vero IV. ejus successore, et ipso etiam Gallo, qui Innocentii, Alexandri, et Urbani sequutus fuit vestigia, novum Pontificium Diploma sub die 26. Februarii 1265. cum Cardinalium consensu promulgatum fuit, quo irrita declarata concessione Regni Siciliæ, ab Alexandro IV. Regi Angliæ facta, quod conditiones in ea statutæ non fuerint executioni mandatæ, conceditur Carolo An-*

Pontifice, in Lateranensi Æde die XXVIII. (*h*) Junii anno a partu Virginis MCCLXV. una cum Beatrice uxore simul suscepto, hac tamen lege, ut quadragenûm in annos singulos aureorum millium (triennio etiam unoquoque equi albi addita oblatione) Pontifici in festo die Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum numerandum vectigal solveret, ut datis litteris apud Lateranum IV. Kalendas Junii, anno supra numerato, Pontificatus Clementis ejusdem anno IV, constat. (*i*) Victoria ergo potitus (3) Carolus regnum invasit. Man-

L fre-

---

degavensi ejus Regni Diadema certis quibusdam pactis, quæ legi possunt apud Lunig. (cod. Ital. dipl. T. II. p. 1. pag. 946.) *Quibus præmissis Carolus Marsilia cum copiis solvit, et forte fortuna Romam venit, ubi postquam Senator declaratus est, a Purpuratis quos Pontifex selegerat die 6. Januarii anni 1266. una cum Beatrice uxore in Vaticana Basilica Rex utriusque Siciliæ inunctus fuit: quæ omnia, cum Manfredi infelicem in bello prope Beneventum exitum, ejusque mortem præcesserint, indicanda hic reputavimus.*

(h) *Annum hic, mensem, et diem permutat Paternonius, erratque turpissime; nam, ut in antecedente adnotatione diximus, Carolus nec Romam venerat adhuc Junio mense, anni 1265. quo non nisi Decembri pertigit, nec coronatus fuit, nisi VIII. idus Januarii sequentis anni. Vide Sabam Malaspinam, Continuatorem Jamsillæ, Baronium, et Raynaldum.*

(i) *Verba Pontificii Diplomatis sunt.* Pro toto generali censu ipsorum Regni et terræ octomillia unciarum auri ad pondus ipsius Regni in festo B. Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici et Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. *Uncia autem, quæ ea tempestate fictitius erat nummus, non constabat, nisi triginta tarenis, quorum duodecim* scutatum, *sive aureum constituunt, et propterea octo millia unciarum auri valebant viginti mille aureis. Non me latet Dominici Canonici Schiavo singularis opinio, qui distinguens argenteas ab aureis unciis, illis triginta, his vero centum viginti quinque tarenos adsignat.* (*Vide* Opuscoli di Autori Siciliani T. XVI. del tarì d'oro pag. 231.) *Sed comperta res est apud eruditos Numismaticos, unciam, sive auream, sive argenteam, ex triginta tarenis constitutam semper fuisse, et hujus Auctoris conjecturas nihili faciendas esse, cum augmentum valoris unciarum non sit repetendum nisi ab abundantia argentei metalli, quod inventis Indiis cœpit apud nos vile-*

fredus vero Pontificis jussu Ecclesiastica sepultura, utpote sacris interdictus, cum caruisset, in agro quodam juxta fluvium, quem viridem vulgus appellat, conditur (*k*), hoc ejus tumulo apposito epitaphio:

Hic jacet Caroli Manfredus morte subactus;
Cæsaris hæredi non fuit urbe locus,
Cum Patris ex odiis ausus confligere Petro,
Mors dedit hic mortem, mors mihi cuncta tulit.

Fuisse autem perhibetur Manfredus formæ speciosissimus, apprime doctus, ac in Philosophia præsertim Aristotelis, comis, intrepidus, robustus, et supra quam dici potest liberalis, adeo ut Riccobaldus Tito, quem delicias orbis terrarum appellarunt, æquarit.

Post

---

lescere. (*Vide* Gabrielem Lancellottum Castellum Principem Turrismutii *in erudito opusculo* de officinis monetarum, et monetis Siciliæ, Opuscoli di Autori Sic. T. eodem pag. 317.) *Ceterum, etiamsi velis Dominici Schiavo opinionem sequi, cum uncia quælibet aurea 125. tarenis constans, constituat decem scutata, et tarenos quinque, census octomillium unciarum, ad octoginta tria millia trecentum triginta tres aureos, et tarenos quatuor ascenderet.*

(k) *Diu Manfredi corpus jacuit insepultum, ipseque Carolus, num adhuc viveret, ignoravit, ut post victoriam ad Clementem IV. scripsit. Forte regalia insignia ad bellum minime tulerat, vel cum pugnaret cecidit aquila, quam cristæ adhærentem gestabat, donec inter extinctos, ex oris lineamentis, ipsius cadaver detectum fuit, suisque qui victi erant innotuit. Fertur victores ipsos milites Carolum rogasse, ut tam eximium Principem cum honore in Ecclesia sepeliri curaret; is vero caussam obtendens, quod excommunicatos in Templis Deo sacris condi vetitum esset, sive potius, ut Clementi Pontifici morem gereret, id fieri recusavit; quam ob rem prope pontem Beneventi humi depositum fuit. Neque hic fuit Romanæ persecutionis finis; Clemens enim IV. nolens ejus ossa quiescere in ditione Romanæ Sedi subjecta, præcepit Episcopo Consentino, si fides Danti* (can. III. del Purgatorio) *sit, ut exhumarentur, et in confiniis Neapolitani Regni collocarentur, prope flumen virile, quod* Marinum *hodie nuncupatur; ait enim:*

Se

Post hæc cum (*6*) Conradinum Conradi filium jure Regem (quem nuper mentitis nunciis Manfredus occubuisse effinxerat, ut paulo ante diximus) anno salutis MCCLXVIII. 12. Augusti die (*l*) obvium haberet in Martiis ad oppidum, cui hodie Tagliacotius nomen est, profligatum (*m*), captum (*7*), ludibrio affectum Neapoli publice de Pontificis consilio (*n*) non absque infamiæ labe contra Regium de-

Se 'l Pastor di Cosenza, ch' alla caccia
Di me fu messo per Clemente, allora
Avesse in Dio ben letta questa faccia,
L' ossa del corpo mio sarieno ancora
In co del Ponte presso a Benevento
Sotto la guardia della grave mora.
Or le bagna la pioggia, e muove 'l vento
Di fuor del Regno quasi lungo 'l Verde,
Ove le trasmutò a lume spento.

(l) *Certamen Carolum inter et Conradinum non XII. sed XXIII. Augusti Die accidit, ut notat Joannes Villanus* (hist. Flor. lib. VII. cap. XXVIII.) *qui testatur Conradini cladem in pervigilio S. Bartholomæi contigisse.*

(m) *Vere Conradinus Caroli copias vicerat, et ipsius castris potitus erat, sed militibus suis depopulandi causa hac illac discurrentibus, Carolus consilio Alardi expertissimi Ducis equites, quos reservaverat, in dissipatos Germanos immittens, renovata pugna, obtinuit, ut exercitus jam victor Conradini profligaretur.*

(n) *Narrant Collenutius, Fazellus, Inveges, Giannonius, aliique Carolum capto Conradino Clementem IV. consuluisse, ut, quid de captivis et præcipue de hoc Rege faciendum esset, intelligeret, et hunc Pontificem non aliud dedisse responsum, nisi per hæc verba:* Vita Conradini mors Caroli, mors Conradini vita Caroli. *Quibus intellexit Principem hunc esse morti damnandum, ut præstitit. Mihi vero persuadere nequeo hoc iniquum consilium præbuisse Clementem, quem, si id unum excipias, quod Svevos Ecclesiæ Romanæ hostes ratus eos persequutus sit, scimus pium fuisse Pontificem, et Joannis Villanii potius narrationi adhærendum censeo, qui refert tantum abesse, ut Clemens in Conradini mortem consenserit, ut etiam ea audita Carolum acriter ob id increpuerit.* (*vide* Hist. Flor. lib. 7. cap. XXIX.)

cus anno insequenti capite truncavit: Atque in hoc uno Conradino nobilissimæ, vetustissimæque Svevorum familiæ finis datus est, cum diu Imperio præfuisset, et in Sicilia annos regnaverit LXXVI. (o).

AD-

(o) *Svevorum gubernium minus, quam septuaginta sex annis perdurasse arbitror. Si enim Henricus VI. qui primus Svevus Siciliæ Rex fuit anno* 1195. *ut auctor ait, coronam Siciliæ suscepit, Carolus vero Sicilia potitus fuit anno* 1265. *Principum Svevorum Imperium ultra septuaginta annos extendi nequit. Quod si velis Conradini annos adjungere, qui tamen nuspiam Siciliam rexit, hoc extincto anno* 1268. *ab Henrici dominio in Siciliæ Regno ad postremi hujus Regis mortem non nisi septuaginta fluxerunt anni.*

ADNOTATA AB AUCTORE.

1. Illescas in Alexandro IV.

2. Is idem ille est, qui Petro filio renunciato Regno Cisterciensis Ordinis habitum religiose induit, ut refert Illescas, et Surita lib. III. *Annalium Arag.* c. 59.

3. Surita *Capite ultimo*.

4. Thomas Porcheachius in *adnotationibus in lib. primum Francisci Guicciardini*. Vide etiam Hieronymum Suritam *lib.* 3. Annalium cap. *68*.

5. Die XXVI. Februarii anni MCCLXVI. Surita ubi supra.

6. Vide Suritam ubi supra cap. 77.

7. Cum enim fugæ se dedisset Conradinus juxta Pisas (*a*) dum fluvium trajicit, a piscatoribus agnitus ad Carolum deductus est.

DE

(a) *Non una est de fuga Conradini, deque modo, quo captus est, scriptorum enarratio. Si Joannem Villanum* (hist. flor. lib. VII. cap. XXIX.) *consulas, fert hic, eumdem ad littora Romana, et ad oppidum Asturi, quod Frangipanorum erat, cum Austriæ Duce consobrino suo fugientem pervenisse, ubi præparari jussit naviculam, quam* velocem *nuncupant, ut in Siciliam trajiceret, cumque jam proficisceretur, cognitus ab oppidi Domino est, qui eum carceri mancipavit, speransque a Carolo præmium, quod obtinuit, in ejus manus vinctum tradidit. Si Sabam Malaspinam audias, narrat hic, Conradinum cum Austriæ Duce Romam ingressum esse, et a Ghibellinis fuisse occultatum, qui subdubitantes, audita Caroli victoria, facile illum detegi posse, consultius putarunt eundem* Asturim *mittere, ut navi, e finibus Romanis egressus, Pisas pergeret. Joannemque Frangipanium suppetias eidem tulisse, qui deinde facti pœnitens alia navicula fugientes Conradinum, et Fridericum assecutus fuit, eosque vinctos Jordano Cardinali Rom. Eccl. consignavit* (hist. lib. IV. cap. XIII. XIV. et XV.) *Tandem ut ceteros missos faciamus, Collenutius, Summontius, aliique gentis Neapolitanæ Historici opinantur, Conradinum, et Fridericum per tres dies sub rustico habitu vagatos esse, et* Asturim *cum pervenissent piscatorem, qui ibi cum sua cymba aderat, rogasse, ut eos Pisas, vel Senas duceret. Cum vero essent alimenta pro iti-*

itinere præparanda, nec Principes illi nummos haberent, Conradinus annulum e digito traxit, ut eo venumdato opsonia emeret piscator, qui pergens ad oppidum, annulum vendidit, sumptisque alimentis ad naviculam rediit, remisque aquæ commissis cœpit iter aggredi. Cum vero Frangipanus Asturi *Dominus rem audiens in suspicionem venisset, annulum Conradini, quem Carolus quærebat, esse potuisse, navim armari jussit, quæ cum celerrima esset, brevi cymbam fugientem assequuta fuit, infelicesque viatores* Asturim *captos reduxit.*

DE

(a) Quamvis genealogica h
gnum in quo præter Carolum I.
dominatus eſt illam , eam nihil
eam affert , tum ut pernoſcantur
Siciliam, quam armis aggrediebat
roli I. Andegavenſis in Regnum
IV. & irrita conceſſione profluer

NOTÆ

(1) Favente Clemente IV.
mox Conradino debellatis, Neap

DE CAROLO I.

SICILIÆ REGE

ET

ANDEGAVENSIUM DUCE ANGIOINO.

MAnfredo occiso, ac ejus Nepote Conradino, jure Rege, Regno pariter, ac vita functo, Carolus Angioinus Siculo, et Neapolitano Regnis Clementis IV. concessione, seu investitura (*a*) ut vocant, uti in Manfredo scripsimus, præficitur. At justo Dei judicio crudelem ipsius tyrannidem, atque immanem sævitiam non ferentes Siculi, Joanne Prochyta Catanense, Prochytæ Insulæ olim domino, quod ejus filiam ex primoribus Gallis quidam oppressisset (*b*), id pro-

(a) *Fertur Clementem IV. doctrina, et morum suavitate fuisse insignem, sed deseruit eum sua virtus, et scientia, cum Carolum Andegavensem Siciliæ utriusque Regem declaravit. Qui enim poterat Conradinum legitimum Conradi heredem paternis bonis expoliare, innocentem scilicet infantem nulla peccati noxa infectum, nec Romanæ Ecclesiæ hostem? Quod intelligas velim, etiamsi detur in potestate Pontificis esse, ut Romani rentur, Principes criminis reos, et Romanæ Sedis inimicos a Regnis exturbare, quod jus ceteri inter doctos eidem plane denegant. Si vero velit aliquis, adtentis fabulosis Caroli Magni, vel Pipini donationibus suburbicarias, ut ajunt, Provincias Romanæ Cathedræ fuisse concessas, propterea que in Pontificum potestate esse, easdem pro voluntate cuicumque tradere, et quandoque, si contumax reperiatur, ab ejus manibus tollere alterique donare, id equidem præsumptu juris ad Siciliæ Regnum extendi nunquam poterat, quippe quod a Carolo, et Pipino donari minime poterat, cum nunquam illud acquisierint, nec a Sarracenorum manibus extraxerint.*

(b) *Boccacius* (Casi di uomini illustri lib. IX. p. m. 561.) *non filiam, sed uxorem Joannis Procidæ fuisse a quodam ex primoribus Galliæ oppressam refert*: Onde occorse, *ait*, che Giovanni di Procida nobile Siciliano, et astutissimo huomo ebbe tanto a male, che la pudicizia della sua moglie per forza fosse stata macchiata, che si de-

procurante Nicolào III. Pont. Max., nec non Michaele Palæologo Imperatore Constantinopolitano, Petroque Aragonum Rege (cui quandoque Galli avum apud Tolosam, et deinde socerum apud Beneventum mactarant) Constantiæ ut dictum est Manfredi filiæ viro, uno eodemque die XXX. nempe Martii mensis (c) quo dies tertius Resurrectionis Dominicæ festus colebatur, tota Insula, unaque hora, Vesperorum scilicet, anno a Christo nato (2) MCCLXXXII. Regni ve-

deliberò adoperare tutte le forze dell' ingegno per vendicar se, e l' altrui ingiurie. *Hæc ipsa opinandi diversitas, et synchronorum scriptorum silentium incertos nos reddunt, num sit hæc historiola inter fabulas accensenda. Potius Procidam ad Gallorum extinctionem in Sicilia procurandam movit, vel intoleranda Siculorum servitus, vel spes, bona, quibus exutus a Gallis fuerat, his exactis recuperandi.*

(c) *Sic vulgo creditum est, sed nec eadem die, nec hora eadem Galli per universam Siciliam ad unum mactati sunt. Quæ res ut qua ratione evenerit innotescat, erit per nos fusius enarranda. Diu Joannes Procida ad expellendos e Sicilia Gallos apud Petrum Aragoniæ Regem, Michaelem Imperatorem Orientis, et Nicolaum III. Pontificem, Caroli Andegavensis inimicos operam suam navaverat, nunc Aragoniam, nunc Constantinopolim, nunc Romam, nunc tandem Siciliam iteratis itineribus visitans, atque mirabili dexteritate, arcanaque via eorum animos ita devinxerat, ut unanimi voto statuerint Carolum, suosque e Regnis Neapolitano, et Siculo exturbare: statutum itaque est subministrandos a Michaele Palæologo, et a Nicolao III. necessarios sumptus Aragonum Regi, qui horum pecuniis adjutus exercitum, classemque præpararet, fingens se ad debellandos Sarracenos in Africam pergere; Siculos interim, cum Petrus Africæ jam appropinquasset, turbas adversus Gallos excitaturos; quo audito Siculorum tumultu, Aragonum Regem cum militum manu, cum qua non longe aberat, in Siciliam accessurum, atque seditiosis opitulatum conceptam Gallorum expulsionem completurum. Nicolai III. mors, atque Martini IV. Caroli amicissimi electio aliquantisper consilium hocce perturbaverat; haud tamen Procida animo despondit, immo vero propositi tenax Petrum Aragoniæ Regem, Augustum Michaelem, et Siculos in suscepto consilio perseverantes tenuit, nihili Martini IV. cum Carolo Andegavensi familiaritatem reputans. Dum hæc præpararentur, forte fortuna accidit, ut cum consuerint Panormitani diebus festis Paschatis ad Ecclesiam Sancti Spiritus extra urbis mœnia recreationis causa*

vero ejusdem Caroli XIII. Franci omnes, Carolo in Phaliscorum monte (montem Flasconem vulgus appellat) cum Martino IV. qui Nicolao anno, qui hunc præcesserat, successit, degente, ad unum cæde affecerunt, ac Regem dictum Petrum in Corsica rei eventum cum classe præstolantem (*d*) sibi delegerunt (*e*). Spe Carolo, Gallisque

M

omni-

---

sa deambulatum pergere, inter ceteros eum in locum venit Matrona uxor Rogerii Mastrangelo, cui Nympha nomen erat, quæ oris pulchritudine omnes ejus ætatis mulieres facile superabat. Ejus forma captus Droghettus, unus ex Justitiarii Ministris, fingens se velle scrutari, num Nympha sub vestibus arma, quæ vetita Siculis erant, ferret, temerarias manus in eam injecit, eoque prætextu candidas ejus carnes attrectavit. Palluit modesta Matrona atrocem hanc injuriam passa, et inter viri brachia animo, viribusque deficiens, cecidit velut mortua. Stupuere adstantes universi, et primo hominis audaciam mirati sunt, deinceps miseram Siculorum conditionem indoluere. Sed tandem animosus quidam Juvenis (cujus egregium nomen, nescio quo fato, scriptores tacuerunt) nobilis illius mulieris sortem commiserans, Droghettum ense expoliavit, quo in ejus viscera confixo Ministrum e vivis abstulit, Nymphæque jura vindicavit. Hoc veluti signum seditionis in Gallos fuit; nam ceteri audentis illius juvenis exemplo incitati, prehensis lapidibus (armis enim carebant) in reliquos, qui ibidem erant, Gallos injicientes, plurimos eorum occiderunt. Conclamatum postea per universam urbem adversus Gallicam tyrannidem est, et quotquot inventi sunt Galli, morti traditi fuere. Pervulgata hujus rei fama primo per Vallem Mazzariæ, deinde per ceteras Valles Siciliæ, eamdem Galli universi calamitatem passi sunt. Non ergo stabilita ea dies est, tricesima nempe Martii, et hora vesperarum pro generali Gallorum ruina, sed casu cœpit, ut ostensum est, Panormitanorum in eos irruptio, odioque in dies per reliquas civitates communicato unius mensis spatio omnes, quotquot erant in Regno, Galli Siculo furori sacrificati sunt.

(d) *Petrus Aragonum Rex Catalauniam non reliquit, nisi postquam Siculorum tumultus audiit. Egressus enim ex eo portu fuit Julio sequenti mense cum classe, et fingens in Africam arma movere, urbem, quam* Ancollam *nuncupant, obsedit; ubi quidem, minime vero in Corsica, universæ rei eventum exspectavit. V. Joannem Villanium 16. cap. LXVII.*

(e) *Quæ egerint egregia facinora Messanenses, ut patriam, universamque Siciliam a Caroli armis defenderent, satis innuunt Joannes*

Vil-

omnibus Siciliæ recuperandæ penitus sublata, quamvis id sæpe tentassent ingenti exercitu, extructa triremium classe tam a fratre, et filio, qui in Gallia erant (g), nec non a Pontifice, et ab Italia tota collectis, receptisque auxiliis. Tanto enim in Gallos exarserant odio Siculi, ut millies accumbendum satius duxerint, quam Galli militis insolentiam iterum experiri. Quamvis si verum est, quod in codice mss. quodam vetustissimo auctoris incerti legi, Messana anno MCCLXXXV. die XIV. mensis Martii Sabbato Carolo Filio, ejus erectis explicatisque vexillis, adhæserit. (3) (h).

Moritur autem Carolus apud Fogiam Apuliæ oppidum VII. Januarii anni MCCLXXXV. dum bellum adversus Siculos instruit, Carolo

(4)

Villanius, Saba Malaspina, et Nicolaus Specialis in suis Historiis. Tanta eorum fuit virtus, ut Carolus desperans de victoria, timensque classem Aragonensem, quæ jam e portu Panormitano solverat, ut omnem exercitui cum Neapolitano Regno communicationem recideret, die 27. Septembris, relicta Sicilia, in Calabriam redierit. Essent hic quoque referendæ acerbæ epistolæ mutuo a Carolo Andegavensi, et a Petro Aragonio scriptæ, nova quadam pugnandi forma, quæ legi possunt in collectione litterarum Petri de Vineis (lib. I. cap. 38. et 39.) *et celebre duellum hos inter Principes a Carolo propositum, et a Petro acceptatum Burdegalæ absolvendum, quod in auras abiit, de quo mox dicemus.*

(g) *Carolus in Galliam profectus non a fratre S. Ludovico, qui ab anno 1271. jam mortuus erat, sed ab hujus filio Philippo III. qui suadente Martino IV. Aragoniam aggressus fuerat, triremes, et milites receperat. Dum Marsiliæ Carolus moraretur, et jam vela daret, ut Neapolim pergeret, navale bellum accidit inter Rogerium de Lauria, et Carolum Claudum ejus filium, qui prope Neapolim victus, Messanam ductus est.*

(h) *Tantum abest, ut Messanenses, quidquid mss. auctor adserat, vexilla Caroli Claudi erexerint, ut etiam mortuo ejus Patre tumultum excitaverint, et a Regina Constantia arroganter petierint, ut huic Principi in vindictam miselli Conradini, caput obtruncaretur, adeo ut necesse fuerit prudenti huic Reginæ eorum impetus frenare, et quo citius posset, vinctum Carolum in Aragoniam mittere, ut infra dicetur. Interim in Cephaludensi Castro, ut ab eorum manibus ipsum liberaret, eumdem custodiri jussit, quo usque tempus discedendi adveniret.*

(4) filio Tarenti Principe superstite ; sed Messanæ in vinculis a Petro detento ; vicerat enim illum, ac profligaverat navali prælio ad caput Antii, prostratæ jam, ac dirutæ urbis non longe a Circæo monte anno (i) salutis MCCLXXXIV. die V. mensis Augusti, vel, si Maurolyco credimus, XXIII. Junii, ceperatque Rogerius Laurea Petri classis præfectus. Sed a Regina ad Petrum in Aragoniam missus (k) libera tandem, quo vellet, eundi facultate donatus est (l). Fuisse scribunt aliqui (5) Carolum recta, ac prægrandi corporis statura, aspectu rufum, magno naso, feroci vultu, audacem, severum, rei militaris peritissimum, in cibo potuque pareum, castum, cum militibus liberalem, et munificum: plura autem præstabat, quam loqueretur; constanti animo in his, quæ semel pollicitaretur; scurris delectatus est numquam; ambitiosum tamen, regnandique avidissimum. Liliis, quæ insignia sunt Galliæ Regum, castrum addidit rubri coloris.

Notandum maxime duas Constantias (quod mysterio non vacat) Regnum transtulisse, primam Nordmannam in Svevos, Svevam alteram in Aragoniam.

(i) *Errant Paternonius, et Maurolycus; hic in recensenda die, ille in adnotando mense. Captus enim est Carolus Claudus die V. mensis Junii, quod constat ex epistola scripta ab ejus patre die nona ejusdem mensis ad Martinum IV. Pontificem, quæ reperitur in Registro Caroli I. exstante in Regia Sycla Neapolis* (2. 1283. litt. A. F. 150.). *Quod ex eo quoque comprobatur, quod referat Carolus Martino, filium fuisse captum die lunæ mensis Junii anno* 1284. *quæ dies quinto ejusdem mensis respondet.*

(k) *Haud potuit Petrus Aragonum Rex tam illustrem vinctum agnoscere, fatis enim cesserat prius, quam navis Carolum portans Aragoniam appelleret.*

(l) *Hoc non statim concessum est: diu de Caroli libertate disputatum est, agentibus præcipue Honorio IV. et Nicolao IV. Romanis Pontificibus, sed irrito conatu. Tandem opera Eduardi I. Angliæ Regis anno* 1288. *vincula ejus dissoluta sunt ab Alphonso, Petri filio, Aragonum Rege certis quibusdam haud levis momenti conditionibus, quæ legi possunt apud* Rainal. in Annal. ad ann. 1288. num. XV., et seq.

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Salernitanum alii faciunt (*a*), et Manfredi Regis Medicum (*b*) Vide Maurolycum Sic. rerum f. 127., et Collenutium lib. V.

2. Surita lib. VIII. cap. 3. vult hoc anno 1282. contigisse, et ita quoque in quodam diario lingua Sicula manuscripto legi, quod et verisimilius est. Constat enim Petrum Aragonium in Siciliam trajecisse anno 1282. idest statim post Gallorum cædem, ut paulo post dicemus.

3. Et si non me lateat contra Carolum Patrem acriter aliquando, et multa cum laude non solum viros, sed et mulieres quoque ipsas, et pueros dimicasse, eumque totis viribus repulisse (*c*).

4. Su-

(a) *Forte hæc verosimilior sententia est, quidquid nostri contra adserant.*

(b) *Fuit Procida Friderico Imperatori carissimus, post cujus mortem Manfredo adhæsit, cujus familiaritatem indeptus erat, et ob non vulgarem eruditionem, et ob medicæ artis peritiam, quam ea tempestate nobilissimi quique profitebantur. Manfredo extincto a Carolo Andegavensi bonis exspoliatus, extorris in Siciliam missus est. V.* Ricard. Malaspinam in Hist. Florent. Cap. CCVI.

(c) *Cum nihil Carolus adversus nostros proficeret, tunc forte Petrum ad singulare certamen provocavit, ut is esset Siciliæ Rex, qui victor evaderet. Duellum non refugit Aragonius Rex, locusque pugnæ destinatus Burdigalæ civitas fuit, quæ tunc sub Angli Regis ditione erat, convenitque inter eos, ut unusquisque centum milites armatos pro sui securitate duceret, qui præsentes pugnæ adstarent. Nostra non interest hic referre, cur propositum certamen nullum exitum habuerit, de qua re multi multa; placet tantum admonere inter Petri equites non ultimum tenuisse locum ex nostris Conradum Lanceum, et Coraldum Rodulphum Emanuelem, quorum stirpes adhuc Panormi summo cum honore supersunt, Lancea quidem in Principibus Trabiæ, et Emanuela in Marchionibus Villæ Albæ, cujus modo caput est Franciscus Emanuele de Sicula Historia optime meritus.*

4. Surita lib. 3. cap. 53. Hic ille forte Carolus est ; quem Silvester in *Aurea Rosa Sermone in feria V. post Pascha* asserit anno 1289. fuisse miraculo , ac meritis B. Mariæ Magdalenæ e vinculis ereptum (*d*) quemque vocat Siciliæ II. utpote primi filium, quamvis eo Regno numquam sit potitus. Collenutius lib. 5.

DE

(d) *Non fuit Carolus Claudus e vinculis solutus anno* 1289 , *sed ut dictum est anno* 1288. *nec scimus id miraculo evenisse , cum constet Eduardo Angliæ sequestrem agente , re primo ad trutinam revocata , pactisque deinde conventis , et ab eo juratis e carceribus fuisse eductum .*

S

Joanna (1)

Aragonu
cognom
Cast

(a) Rectius dicerem ex
dinandus enim cognomento J
jus ad Aragoniam per matre
quæ Petri IV. Aragonum R

DE PETRO I.

NOMINIS HUJUS

SICILIÆ REGE,

ET

ARAGONIÆ III.

GAllis a Siculis cæsis, eorumque tyrannico jugo a cervicibus excusso, Petrus Aragonius Aragoniæ Rex jure uxorio (Constantiæ scilicet Manfredi etsi furtivo thoro nati filiæ) a Corsica (*a*) solvens, ubi rei præstolabatur eventum, x. Augusti mensis die, (*b*) anno a partu Virginis MCCLXXXII. cum quinquaginta triremium multarumque onerariarum navium classe (*c*) Drepanum applicans, ac Panormum deinde terrestri itinere petens, (*d*) Rex est ab omnibus salutatus, et corona a Cephaledensi Antistite ibidem redimitus est. Quod propter a Martino IV. Pontifice Maximo, qui Carolo favebat, a fidelium cœtu publicis libellis est sejunctus, (*e*) sicut etiam, et po-

---

(a) *Non a Corsica, sed ab Africa, et ab obsidione* Ancollæ *solvisse Petrum, et in Siciliam venisse in adnotationibus ad ea, quæ de Carolo I. Andegavensi a Paternione scribebantur, jam advertimus.*

(b) *De die, quo Petrus Drepanum appulit, incerti sumus; de Neocastro enim* (Hist. Sic. cap. XLV.) *advertit id accidisse penultima die mensis Augusti, et Anonymus Siculus (apud Martene) cap.XL. sub finem anni* 1282. *sed forte hic annos per Indictionem supputabat.*

(c) *Ita Joannes Villanius, et Jachettus Malaspina, primus in Historia Florentina* (lib. VII. cap. LXVIII.), *alter in additamento ad Historiam Ricordani* (cap. CCXII.): *sed continuator Caffari Annalium Genuensium* (lib. X. ad ann. 1282.) *nonnisi undeviginti triremes, et duodecim onerarias naves classi attribuit.*

(d) *Anonymus Martene* 30. *Augusti Panormum venisse Petrum asserit, aliis arridet die decimo Augusti in eam urbem intrasse; quod si verum est, multo ante Drepanum appulit.*

(e) *Statim post cædem Gallorum miserat Martinus IV. Messanam Car-*

postea ab Honorio item IV. qui Martino in Pontificatu successerat. (*f*). Multis autem præclare contra Carolum gestis, clausit tandem extremum diem Villæ Francæ in Hispania (1) conto petitus, dum Gerundam (2) a Philippo Francorum Rege post Caroli mortem bello vexatam defendit die XI. Novembris MCCLXXXV. (*g*) ætatis vero suæ LV. (3) Regni Siciliæ IV. Barcinone humatus est, quatuor superstitibus maribus filiis, Alphonso, qui patri in Aragonio Regno successit, Jacobo, Friderico, et Petro (Jacobum vero hac lege Siciliæ Regem præfecit, ut ipse Alphonso, si sine liberis decessisset, in Aragoniæ Regno, in Siculo vero Fridericus succederet) duabusque

---

Cardinalem Gerardum Episcopum Sabinæ, ut Siculos ad officium revocaret, Carolique dominio restitueret; sed cum iste operam, oleumque perdidisset Sicilia egressus, Insulam interdicto subjecit, singulosque ejus nationis habitatores excommunicatos declaravit. Post hæc idem Pontifex die decima septima Novembris in pervigilio dedicationis Basilicæ Divi Petri in Phliscone Monte Bullam promulgavit, quæque acta a Cardinali Legato fuerant, confirmavit, ipsumque Regem Petrum excommunicationis gladio percussit. (Rayn. in Ann. ad ann. 1282. num. XXIII.) *Quam censuram renovavit post duos annos, scilicet mense Majo anni* 1284. *atque bellum sacrum adversus Petrum, et Siculos declaravit, data venia eidem Legato cruce signandi.*

„ *Tantum religio potuit suadere malorum*!

(f) *Refert Joannes Villanius* (Hist. Flor. lib. VII. cap. CXII.) *Honorium IV. Ghibellinorum partes prius substinuisse, nec opem Caroli I. filio adversus Petrum attulisse. Fallitur vero, hic enim Pontifex Prædecessoris vestigia secutus, decimas, quas Martinus Ecclesiis Italiæ imposuerat per triennium, ut bellum adversus Petrum fieret, collegit, et ingentes alias pecuniarum summas Comiti de Artois, qui nomine Caroli Claudi carceribus mancipati contra Petrum pugnabat, subministravit; censuras adversus Aragonensem Regem instauravit, atque Philippo Francorum Regi, qui Aragoniam invadebat, concessit, ut a quibusdam Galliæ Ecclesiis decimas, hoc perdurante bello, exigeret.*

(g) *Emendandus hic Pirrus est, qui* (Chronol. Reg. Sic. p. 63.) *Petrum die* 30. *Octobris obiisse adserit, et Villanius, qui* (Hist. Florent. lib. VII. cap. CII.) *ejus mortem VI. nonas Novembris accidisse refert.*

que femellis, Isabella inter Divos relata, quæ Dionysio Regi Lusitaniæ nupsit, et Jolanta (4), quam plerique Eleonoram appellant. Jacobo autem fratri Baleares Insulas restituit, ob quas primum denegatas is ad Philippum Francorum Regem confugerat, cum quo et adversus fratrem arma susceperat.

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Surita febri illum correptum obiisse scribit (a).

2. Gironam vulgus appellat, ubi cum Galli Divi Narcissi Gerundensium Pontificis sepulcrum profanassent, divinitus factum est, de Sarcophagi foraminibus culicum infinitam multitudinem scaturiisse, quorum aculeis impetitus exercitus ad LX. hominum millia una cum Philippo Rege interierint, ex Maurolyco lib. 4. et Surita lib. 4. cap. 69. (b).

(a) *Villanius* (16), *et Raynaldus* (in Ann. ad an. 1285. num. XXV.) *quibus subscripsit de Burigny* (Hist. de Sic. p. II. liv. IX. §. XI.) *referunt Petrum fuisse mortuum, quod cum vulnus, quod Gerundæ receperat, non esset adhuc satis curatum, jacere cum muliere voluerit, quo factum est, ut reclusa plaga recruduerit, eumque ad interitum traxerit.*

(b) *Vereor, ne miraculum hoc fabulosum sit, a Surita, et Hispanis scriptoribus, qui nimii in vendendis miraculis sunt, excogitatum, et a Maurolyco, nullo prævio examine, admissum. Scimus sane Philippum capta Gerunda, quam septem mensibus obsedit, regressum esse, et Pyreneos montes trajecisse; fessumque itinerum difficultatibus in morbum incidisse, quo Perpiniani in Gallia, die sexta Octobris ejusdem anni, obiit., nec quemquam Historicorum, qui de eo scripserunt, relatum a Surita portentum memorasse noscimus, quod silentio haud prætermisissent, si tanta fuisset culicum, qui e sepulcro Divi Narcisi eruperant, in eorum*

3. Vel XLVI. ut habet Surita lib. 4. cap. 61.

4. Illescas in vita Petri, quæ habetur in fine l. 1. vocat Constantiam, eamque Neapolis Regi nuptui traditam, quo auctore ignotum (c).

DE

---

rum aculeis vis, ut sexaginta millia hominum, ipsumque Regem brevi extinxerint.

(c) *Præter Elisabetham, Jolantam inter filias Petri nominat etiam Pirrus* (chron. Regum Siciliæ pag. 62.) *quam tamen non Regi tunc Neapolis, qui Carolus II. erat, sed ejus filio tertio genito Roberto Calabriæ Duci, qui deinceps anno scilicet* 1303. *Rex coronatus est, nupsit. Sunt vero qui hanc inter Petri filias, et Roberti uxores non nominant.*

DE JACOBO (1)

PETRI FILIO

SICILIÆ REGE.

UBi Petrus lucis hujus usura privatus est, Jacobus ejus ex Constantia filius ad Regnum ex patris testamento proximus adsciscitur, ac Panormi Regia corona atque diademate die Februarii XI. (a) anni a Servatore nato MCCLXXXVI. decoratus est. Qui, et anno deinde MCCXCII. Aragonensium quoque Rex (2) ex Alphonsi fratris abdicatione (b) est salutatus. (Is enim cum in gravem incidisset morbum, in divi Francisci familiam se recipiens, fratri Regnum, ubi ejus habenas annos VI. tractasset, tradidit. (c)) Verum in-

N 2

(a) *Dies Coronationis Jacobi Regis Panormi factæ non XI. sed secunda Februarii fuit.* (V. Pirrum in Chron. Siciliæ pag. 63.) *Fuit autem inunctus ab Episcopo Cephaledensi M.Juncta, Gualterius enim Panormitanus Archiepiscopus jam obierat.*

(b) *Alphonsum Jacobo fratri Regnum, dum viveret, renuntiasse nuspiam legimus. Hic sane, ut a Surita* (Ann. de Aragon. lib. IV. cap. CXXII. pag. 347. T. I.) *discimus, inita cum Ecclesia, atque Regibus, quibuscum pugnabat, pace jam statuerat, Eleonoræ Angliæ Regis filiæ matrimonio conjungi, miseratque Raimundum Folchium Cardonæ vicecomitem cum magno equitatu, ut Reginam comitaretur, et in Aragoniam duceret. Interim Barcinone ob nuptias, quæ celebrandæ erant, spectacula, pugnæ ludicræ, quæ* hostiludia *dicuntur, et* cannarum, *ut Hispani vocant, ludi acti sunt; quæ cum per mensem Jatlu esscut, Alphonsus in gravem incidit morbum, et post tres dies inter subditorum lacrymas, condito prius testamento mortuus est XVIII. Junii anno* 1291.

(c) *Quod forte jusserit Alphonsus suum corpus post mortem, Franciscano habitu indutum ad Ecclesiam fratrum Minorum Barcinone existentem deferri, ibique humari, nata fabula est, hunc Regem morbo oppressum Regni habenas fratri consignasse, inque divi Francisci familiam se recepisse, ubi mortuus est. Sed constat Alphonsum anno* 1291. *obiisse ut diximus decimo octavo Junii mensis, nec Jacobum in Aragoniam venisse, nisi postquam fratris interitum audiit, qui nuntiatus ei-*

insequenti anno, hoc est MCCXCIII. agente Bonifacio VIII. Rom. Pontifice, pace cum Carolo Francorum Regis filio (*d*) Neapolisque Rege composita, et ejus filia, cui nomen Blanca, in uxorem ducta, anno sui Regni XI. Siciliam sibi fidelissimam fere renunciavit. (*e*) Verum enim vero hoc ægre ferentes Siculi, conventu Catanæ habito, die Januarii XV. anni MCCXCVI. Fridericum ex testamento patris omnium voto signatum, electumque (*f*) sibi Regem publico

---

eidem fuit Messanæ sexto die sequentis mensis Julii. Post hæc Siciliam relinquens, et in Aragoniam pergens Cæsaraugustæ corona Regni redimitus est, rexque salutatus Aragoniæ, sceptrum tunc accepit.

(d) *Carolus II. non Regis Francorum filius, sed patruelis fuit.*

(e) *Indoluere Siculi de Jacobi Regis circa hanc Insulam consilio; primo enim Petri patris, et Alphonsi fratris testamenta aspernatus est, quorum ille caverat, ut si Alphonsus Primogenitus nullis relictis filiis moreretur, Jacobus eidem ea ratione succederet, ut Siciliæ coronam Fridericus tertio natus susciperet; alter vero paternæ voluntatis conscius, fratrem Jacobum in Aragoniæ heredem extremis tabulis declaravit ea conditione, ut Siciliæ Diadema in Friderici caput transiret. Sed Jacobus flocci hæc faciens, Siciliæ dominatum conservavit, nec Fridericum, nisi Vicarium nostri Regni declaravit. Et deinde in nos crudelior, ut Bonifacii optatis obsecundaret, et cum Carolo II. Neapolis Rege pacem iniret, Siciliam, cujus Fridericus legitimus erat dominus, in lacessitorum Gallorum manus sua renunciatione redire sivit, et quod pejus est, ut dicemus, bellum fratri movit, ut cessionem Carolo factam tueretur.*

(f) *Quæ egerint Siculi, ut Jacobum a proposito cedendi hoc Regnum abducerent, cumque deinceps pervivacem ejus animum vincere haud valerent, sibi tandem Fridericum ejus fratrem Regem constituerint, breviter indicandum reputamus. Cum primum pervulgata per universam Insulam fama fuit, Jacobum Bonifacii VIII. opera ad reddendam Carolo II. Siciliam proclivem esse, nemo fuit inter Siculos, qui eum haud mendacem esse sibi persuaderet; infixa enim eorum animis erant hujus Principis verba, cum anno 1293. non de restituendo Gallis Regno, sed de fine bellis imponendo agebatur, quando se inconsultis Siculis, pacem non acceptum professus est, quod deinde Siciliæ Oratoribus eam ob rem in Aragoniam accersitis, bis, et ter confirmaverat. Sed percrebescente rumore, advocatoque Friderico Principe Romam ad eodem Pontifice, huicque promisso Constantinopolitano Imperio, si juribus in Siciliam sibi pro-*

blico nomine, antequam Gallus Insulam occupet, pronunciant, (3) nullaque ratione adduci potuere, ut Carolum admitterent, quamvis Bonifacius Rom. Pont. per Calamandrum Legatum (g), et Jacobus ipse,

---

propriis concederet, coeptum est de veritate abdicationis magnopere dubitari. Quapropter Reginae Constantiae consilio missi statim sunt in Aragoniam Cataldus Ruffus, Santorus Bisala, et Ugo Talac ad Jacobum ejus filium, ut hunc deprecarentur, ne Siculos Aragoniae stirpi adeo fideles desereret, et manibus hostilibus committeret. Jacta autem jam erat alea, ipseque Jacobus Ilerdam venerat, ibidem Carolum Claudum, Blancamque ejus filiam, cum qua nuptias erat contracturus, exspectabat. Siculi Oratores Barcinonem appellentes, cum audissent Regem Ilerdae esse, ad eum profecti sunt, publiceque recepti ab eo petierunt, numne vera essent, quae vulgo de cessione Regni Siciliae efferebantur; cumque ab ejus ore audissent rem ita esse, contristati admodum sunt. Cataldus vero, vir eloquentissimus, contineri minime potuit, quin exprobraret, quam inique cum Siculis ageretur, qui Aragonibus Principibus adeo constanter adhaeserant, et modo, nullo praevio delicto, Gallorum arbitratui linquebantur; nihil vero egit, tametsi enim Rex libertate sermonis non fuerit offensus, a proposito nihilominus minime declinavit. Haec gesta sunt anno 1295. Spe ergo omni frustrati Siculi Oratores, si vera sunt, quae refert Nicolaus Specialis (Rer. Sic. lib. 11. cap. XXII. *) nigras vestes doloris signum, et habitum induentes, repetitis ratibus, quibus advenerant per mille maris pericula rediere. *Non aegre intelliges, quae lamenta, quae murmurationes fuerint in populo excitatae, quae ut cessarunt, constitutum est, agentibus praecipue Rogerio de Lauria, Vinciguerra de Paliciis, Raimundoque de Alemagno, ut quoniam Jacobus eos deseruerat, eum sibi in Regem adsciscerent, quem Siciliae Petrus pater ejus, et Alphonsus frater destinaverant. Quapropter convenientibus in unum Catalauniis, Aragonensibus, cunctisque magnatibus, et syndicis Siculorum in Catanensi majori templo generale colloquium celebratum est, omniumque votis Fridericus Jacobi frater Siciliae Rex renunciatus fuit, plaudente plebe, universisque hominum coetibus, qui insequenti anno 1296. regio diademate redimitus Panormi fuit.*

(g) *Praevidens Bonifacius VIII. Siculos Gallorum jugum aspernaturos, primo ad eos scripsit, fingens Jacobum in manibus Ecclesiae Romanae Regnum resignasse, atque promisit se Legatum Apostolicum missurum, a quo dulcissime regerentur; deinde Calamandrum Messanam destinavit, qui*

ipse, qui et arma contra Siculos, et Fridericum fratrem su scepit, (*h*) id enixissime exposcerent. Decessit autem Jacobus Barcinone ultima Octobris die, anno salutis MCCCXXVII. ætatis LXIV. Regni LXI. (sex siquidem annis Siciliam (*i*), et Aragoniam XXXV. moderatus est) Joanne XXII. Pont. Max., et Nicolao V. Antipapa.

AD-

---

qui secum complures pergamenas chartas duxerat, in quibus nihil scriptum erat, præter Pontificis Chirographum, et a quibus ejus sigillum pendebat. His Legatus munitus, cum Messanam pervenisset, testatus est, in sua potestate esse in vacuis illis chartis absolutiones quascumque, venias, immunitates, exemptiones, consuetudines, omniaque, quæ Siculi optassent, apponere, modo Gallorum dominio subderentur. Jam populus Pontificis promissis illectus cedebat; quod noscentes Rogerius de Lauria, et Vinciguerra Palicius Petrum Ansalonem ad Calamandrum misere, qui eumdem allocutus, de Rege ait non esse amplius disputandum, cum jam Siculi sibi Fridericum elegerint, docuit suos non membranis, sed gladio pacem *quærere, et evaginato ense mortem eidem minitatus est, nisi statim discederet, quod a prudenti Legato factum est.* (Spec. ib. cap. XXIV.

(h) *Ut veritati litemus, fatendum est, Jacobum, quamquam ob fœdus cum Carolo Claudo, et Pontifice, et Rege Francorum initum, haud posset bellum adversus fratrem declinare, ejus nihilominus salutem curasse; nam secreto per Legatos eum admonuit, ne Sicilia discederet,* (Spec. lib. IV. cap. III.), *et cum anno 1299. prope promontorium, quod caput Orlandi dicitur, navali bello Fridericum vicerit, etsi posset eum capere, sivit, ut in Siciliam rediret, nec voluit amplius cum eo congredi, seseque datam fidem solvisse contendit, cum jam classem Siculam destruxerit; propterea in Aragoniam rediit, quo recedente Fridericus pacem cum Rege Neapolis iniit.*

(i) *Non sex, sed decem annis Siciliam tenuit, nam anno 1285. Rex renunciatus hujus Insulæ, non nisi anno 1295. eam Carolo II. Neapolis cessit.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Hic omnium primus, ut vult Surita lib. 4. cap. 81. Regni insignia in partes duas divisit, in prima Aquilam in argentea area, quibus usus fuerat Manfredus, in secunda vero fascias, baculosque, quibus Aragonii Reges utuntur, depingi voluit. At Fridericus, qui Jacobo successit, ad hanc, quam nunc depingimus Siculi, formam redegit.

2. Vixit autem Alphonsus annos XXVII. ut scribit in ejus vita Illescas, illeque idem est hoc nomine III. qui et liberalis, et castus cognomento dictus est.

3. Hieronymus Surita lib. V. cap. 16.

DE FRIDERICO I.

SICILIÆ REGE (1)

FRidericus igitur Petri Aragoniæ, et Siciliæ Regis ex Constantia Sveva filius tertio loco genitus, ubi Catanæ a Siculis omnibus in Regem electus est, anno ab orbe per Christum redempto MCCXCVI. die XXII. Martii., qui Virginis Annunciatæ., ac Resurrectionis Dominicæ eo anno dies festus fuit, Panormi coronatus est (a). Hic ex (2) Eleonora Caroli II. Neapolitanorum regis filia (b) tres filios susce-

---

(a) *Sollemnem hanc Friderici coronationem eleganter descripsit Nicolaus Speciale* (Hist. Sic. lib. III. cap. I.) *Regem inunxit Ticius de Colle Archiepiscopus Panormitanus. Erravit propterea Joannes Villanius* (Hist. Fiorent. lib. VIII. cap. XIII.) *cum ait:* Federico .... vi rimase Signore, e da Ciciliani se ne fece coronare contro volontà della Chiesa dal Vescovo di Cefalonia. *Forte intelligit Episcopum Cephalædensem, et confundit coronationem Friderici cum ea Jacobi, quæ ut dictum est, vidua extante Ecclesia Panormitana, a Cephalædi Præsule peracta fuit.*

(b) *Eleonoram non duxit uxorem Fridericus, nisi vere anni* 1303. *postquam* 29. *Augusti anni antecedentis conclusa prope Plateam pax fuerat inter eum, et Robertum Caroli II. Filium, Carolo de Valois eamdem procurante, certis quibusdam pactis, quæ inter illud erat, ut ad uniendos magis magisque animos Fridericus Eleonoræ Roberti sorori, et Caroli Claudi filiæ pulcherrimæ, et honestæ principi nuberet. Celebratæ vero nuptiæ sunt in majori templo Messanæ, eaque occasione sollemnia quædam spectacula acta ea in urbe fuerunt, et Fridericus ad exaugendam Siciliæ universæ lætitiam quosdam inter primarios cives cingulo militari ornavit, quosdam Equites calcaris, ut ajunt, aurei fecit, suetaque sibi munificentia Castella, Feuda, aliaque bona pro meritis familiaribus, et militibus, qui in re bellica eidem inservierant, dispensavit. Fortassis Bonifacius VIII. cui cordi erat Siciliam Carolo II. Neapolis tradere, pacem hanc non approbasset, bellumque concupiisset, nisi alienis negotiis distentus, suæ rei esse arbitratus esset ratam facere; confirmavit itaque, sed ne videretur prætensa Romanæ Sedis jura lædere, duas addidit conditiones, quarum prima fuit, ut in posterum Fridericus quindecim mille Florenos pro*

scepit, Petrum primo loco genitum Regem vivente adhuc patre anno MCCCXXI. designatum, Joannem Randatii Ducem, ac Guillelmum (3) Athenarum, et Neopatriæ item Ducem, Calatafimi Comitem, Noti, et Pachyni totius Dominum, regnique Procuratorem, unamque femellam, cui nomen Constantia, quæ cum Cypriorum Regi jam senio confecto nupsisset, virgo ad Patriam rediit. Obiit (*c*) autem

O Fri-

---

pro Sicilia, insulisque adjacentibus quotannis Ecclesiæ Romanæ solveret; altera ut non Siciliæ, sed Trinacriæ Rex tantummodo diceretur. Acceptata in ea temporum calamitate pacta hæc a Friderici Oratoribus fuere, sed num impleta fuerint, definire non audeo; de titulo Regis parum esse sollicitus hic Princeps debuerat, minimum enim intererat, num Siciliæ an vero Trinacriæ, quod idem sonat, Rex nuncuparetur: vidi ego duo monumenta Leontini ab Friderico subscripta post pacem, in quibus dicitur Siciliæ Rex, *sed an sincera fuerint, nescio. Alterum vero de quindecim millium Florenorum annuo censu pro Sicilia Sanctæ Sedi solvendo, injustum pactum fuisse nostri evidenter ostendunt, nosque facile demonstraremus, si præscriptis nobis limites sinerent.*

(c) *Non tam fugaci calamo Illustris Friderici vita distringenda erat, quod Paternonius facit, quasi non vixerit, nisi ut filios, et filias progigneret. Fuit hercle Rex iste inter omnes, quos habuimus Principes facile primus, eosque omnes exsuperavit, qui deinde secuti sunt. Ut enim omittam ejus dexteritatem, prudentiam, humanitatem, quibus Siculorum animos ad se traxit omnes, quando vicaria fratris Jacobi auctoritate Regnum gubernavit, Rex deinde conclamatus, titubantem coronam a Siculis receptam solus cum suis subditis, paucisque Catalauniis substinuit, cum sibi adversos haberet Carolum II. Neapolis Regem, Andegavi que Ducem, Philippum Gallorum Principem, Bonifacium VIII. Romanorum Pontificem, ipsumque fratrem Jacobum Aragunium, Monarchias quatuor, quarum quælibet ad diruendos cum suo Rege Siculos sufficere videbatur. Avitam scilicet virtutem tandiu latentem nostrates in Regis sui defensionem, quem eximie diligebant, velut ex cineribus excitarunt, eumque sibi Regem, tot potentibus hostibus nequidquam obstantibus, conservarunt. Nec minore animi præsentia tum Rex, cum fideles ejus subditi bellum contra Robertum Caroli II. filium regemque Neapolis anno MCCCXIV. et sequentibus substinuere. Siciliæ quidem Regnum spatio 40. annorum undique ab hostibus vexatum sibi tenuit, illudque integrum Petro primogenito, quem anno 1322. in Regem coronari cura-*

ve-

Fridericus annum agens LXV. dum Enna Catanam pergit juxta Paternionum oppidum in Æde S. Joannis Hierosolymitani (id quod Donatus Brundusinus medica arte insignis in Hierosolymitano Templo interiturum multo ante vaticinatus edixerit) anno sui Regni XL. (*d*) salutis vero MCCCXXXVII. die Junii mensis XX. (*e*) Benedicto XII. Pont. Max. (4) Princeps, cui ob insignes animi sui dotes, et ob servatam maximis periculis, ac laboribus Insulam Siculi adhuc plurimum debent. Cadaver autem Catanam deductum in Templo maximo Divæ Agathæ sacro marmoreo sepulcro tumulatum hoc disticho ad hanc usque ætatem insignitum cernitur:

Si-

---

verat, reliquit. Ceterum inter tantas armorum vicissitudines constitutus Reipublicæ bonum suorumque Siciliensium commodum minime neglexit: cedro, minioque dignæ a cordatis omnibus reputantur centum, et octodecim constitutiones, quarum alias Panormi post sollemnem coronationem promulgavit, alias Plateæ in generali colloquio anno circiter 1297. *vel* 1298. *post bellum Calabrum edidit, alias Messanæ post initam verosimiliter cum Rege Neapolis anno forte* 1309. *pacem; alias Ennæ, quas tamen Petrus ejus filius tamquam Regni Vicarius anno* 1316. *vulgavit; alias tandem Panormi anno* 1332. *decrevit, quas videre est in Capitulis Regni Siciliæ* (T. 1. in Friderico a pag. 45. ad pag. III.) *Sunt vero plenæ æquitatis, et justitiæ, commonstrantque, huic Regi eximio nunquam cordi fuisse subditos pauperare, eorumque bonis ditescere, imo potius eorum lucra, utilitatesque quærere, nec tributa præscripsisse, nisi quando de servando regno ageretur. Merito propterea Siciliæ populi ingemuere, cum Regem tam carum, amoreque subditorum dignissimum amiserunt.*

(d) *Fortassis XLI.*

(e) *Non die XX. sed XXIII. Junii mortuus Fridericus est, testatur enim Nicolaus Speciale* (Hist. Sic. lib. VIII. cap. VIII.) *debitum carnis exsolvisse* in vigilia nativitatis.... Beati Johannis. *Podagræ, et chiragræ doloribus cruciatus obiit, qua in re illud memoratu dignum arbitramur, ut constet Siculorum in eum dilectio, quod idem Speciale enarrat, scilicet, cum ab Enna vellet Catanam, ut ibi moreretur, pergere, ait enim:* Profecturus ergo lecticam ingreditur, atque a devotis circumadjacentium terrarum incolis per vicissitudines ad humeros supportatur. *Quam insigne benevolentiæ argumentum! Quod equidem ære perennius monumentum est.*

Sicaniæ populi mærent, cælestia gaudent
Numina, terra gemit, Rex Fridericus obit (*f*).

Cæterum Eleonora Regina femina religiosissima post mariti obitum Minoritano (*g*) habitu induta annos supravixit quatuor, et in cœnobio Divi Nicolai de Arena (5) in Ætna monte sito vita functa Catanam et ipsa translata est, et in æde Divi Francisci condita hoc insculpto epitaphio:

 Sici-

(f) *Præter hoc* Ἐπιτάφιον *duplex aliud Friderici tumulo affixum est, quod abs re non erit hic exscribere, utrumque enim hujus Principis, quæ retulimus, merita mire confirmant:*

I.

Quis tumulus caperet Friderici carmina Regis?
Murus erat Siculis longo certamine, legis
Divinæ cultor, humani juris amator,
Occubuit, scandit cælestia regna, viator.

II.

Quæ Friderice queant de te, Rex, carmina fingi?
Dignus eras Siculis divorum numine pingi.
Aurea Trinacriæ sub te duce floruit ætas,
Nec potuit quisquam regni tibi tollere metas.

(g) *Eleonoram Minoritanum habitum indutam fuisse non reperimus, quamvis ejus corpus in Templo Fratrum Minorum sepultum fateamur, de ea enim constat, post viri mortem in pagum quemdam ad radices Ætnæ Montis, qui* le Guardie *nominatur, quotannis æstatis tempore digredi consuevisse, et cum Monachis S. Nicolai de Arenis Benedictini Ordinis, qui prope erant, conversatam esse, et quandoque choro interfuisse, et in cœnobio pernoctasse. Ostenditur hodiedum cellula, quam inhabitabat, quæ adhuc* Cella Reginæ *dicitur. Inter Monachorum manus extremum spiritum exhalavit, et antequam moreretur regia munificentia eidem Monasterio sacra vasa et candelabra argentea, atque vestimenta ex holoserico permulta legavit, quorum nonnulla tempus edax non consumpsit, et adhuc visuntur. Vide Catanam Illustratam Viti de Amico* (lib. VI. cap. IV. §. IV. T. II. pag. 143.)

Siciliæ Regina jacens hic est Leonora
Regum nata, parens conjux insignis honore
Hæc Caroli, Petri, Friderici, sanste sororem
Accipis in cœlo dignam Ludovice priorem,
Quamvis Arenæ Nicolai migraverit æde,
Hoc voluit Catanæ Francisci sistere sede
Ordinis, et devota sui sydus bene mite
Hoc jacet hospitio completo tempore vitæ.

Fuit autem S. Ludovici Ordinis Minorum, quos vocant, ac Tolosæ Episcopi soror.

AD-

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Surita lib. V. cap. 19.

2. Hinc sibi adjunxit uxorem Fridericus circa annum 1302. (a) ad pacem cum Carolo firmandam, qui jus ad Siciliæ Regnum se ut Caroli filium (quem Siculi abjecerant, ut in Carolo I. dictum) habere cum assereret, sæpe ad arma itum erat utrinque, quod fœdus probavit Bonifacius Pont., et hac lege Fridericum Siciliæ Regem declaravit (b), ut quindecim millium Florenorum censum Romanæ Ecclesiæ penderet.

3. Moritur hic Guillelmus (c) anno 1338. Maji die 12. Panormi, ibique in Æde maxima humatus est.

4. Ab hoc Friderico II. Gerbarum insula, quam Rogerius Laurea Petro Regi in Septembri 1284. subegerat, defecit. Sardiniam et ipse ex Clementis V. Pont. Max. consensu, pulsis Mauris, sibi posterisque suis acquisivit; cæterum ejus Imperii anno 33. salutis vero 1329. 28. Junii Ætnæ mons mire exarsit (d).

5.

(a) *Animadversum est supra nuptias Friderici cum Eleonora, non nisi vere sequentis anni 1303. fuisse celebratas.*

(b) *De Bonifacio diximus, renuisse Fridericum Siciliæ Regem dici, atque voluisse, ut Trinacriæ tantum Rex diceretur.*

(c) *Præter tres filios, quos auctor enumerat, alium habuit Fridericus, quem appellavit Rogerium Manfredum, qui in incunabulis mortuus est. Inter filias autem præter Constantiam Henrici Regis uxorem, nominandæ tres aliæ sunt, videlicet Elisabetha, quæ nupsit Stephano, Ludovici Bavari Imperatoris filio, Catharina, quæ fuit Antistita Monasterii S. Claræ Messanæ, quæ sanctitatis fama mortua est, et Margarita, quæ in eodem Cœnobio velum Monasticum induit. Plures quoque fuere Friderici nothi, nempe inter mares Sancius, Alphonsus, Fridericus, et Rolandus, qui nati ex tot diversis pellicibus eidem sunt, et inter fœminas, alia cujus nomen ignoramus, quam suscepit e Sibilla Sormella nobilissima Matrona, quamque Rogerio de Lauria celebris Admirati nepoti uxorem designavit.*

(d) *De hoc memorabili Ætnæ incendio consule Nicolaum Specialo Hist. lib. VIII. cap. 11.*

5. Sic vulgo dicitur, quamvis a Regina ibi defuncta *Reginæ* (e) non *Arenæ* nomen crediderim esse sortitum.

DE

(e) *Abbas Vitus de Amico Casinensis* (Parte II. Sic. Sacræ Pirri addita not. IV. S. Nicolai de Arena pag. 4.) *Paternonium corrigit ajens Hospitium S. Nicolai de Arena* jamdudum ab Arenæ copia non ab incolatu Reginæ Eleonoræ, ut quidam suspicatur (*mss. hoc citans*) de Regina vulgo de Rina nuncupatum: *et quod rem conficit autographum affert instrumentum Simonis Comitis de Policastro, qui Cœnobio eidem vineta, pascua, terrasque concessit, anno* 1156. *in quo de hac Ecclesia loquutus nominat* Ecclesiam S. Nicolai quæ dicitur de Arena; *duobus itaque pene sæculis priusquam Eleonora ibidem inhabitaverat, id nominis sortitam esse evidentissimum est.*

DE PETRO II.

SICILIÆ REGE.

FRiderico vita functo Petrus ex Eleonora Angioina filius maximo cum omnium gaudio, et lætitia Siciliæ Rex Catanæ salutatur (a). Hic copulata sibi uxore Elisabetha Ducis Carintiæ filia anno MCCCXXII. Ludovicum, Joannem Guillelmum, Fridericum, et Euphemiam ex ea suscepit (b). Vir gentis, et pacis amantissimus. Moritur autem Calaxibetæ anno a partu Virginis LXII. supra MCCC. Die Augusti mensis VIII. ætatis vero suæ XXXVII. Clemente VI. Rom. Pont., cujus corpus postmodum Panormum translatum in Templo maximo sepulturæ traditum est.

DE

(a) *Jamdiu Petrus, ut auctor noster in Friderico II. fatetur, anno scilicet* 1321. *fuerat Rex Siciliæ salutatus; hoc loco ergo intelligit tunc Regni habenas suscepisse. Hujus vero regimen non adeo pacificum, ut Paternonius retur, fuit; nec enim patris vestigia secutus est. Fovit quippe, suis familiaribus nimis confidens, graves inter Claramontanos et Vigintimillios illustres Siculorum familias, inimicitias, seque ipsum Paliciorum manibus, qui sanguine cum Claramontanis conjuncti erant, commisit. Natæ hinc sunt ferales has inter familias dissensiones, ut Petrus ab amittendo diademate parum abfuerit, nisi Siculorum amor, qui in eo Friderici imaginem venerabantur, illud eidem conservasset.*

(b) *Præter Euphemiam, quæ hic nominatur, quatuor alias filias Petrus ex Elisabetha susceperat, Constantiam, quæ cum Euphemia Claustralem vitam elegit, Blancam, Eleonoram, et Violantam, quarum prima Johanni Comiti de Ampurias, secunda Petro IV. Aragonum Regi, tertia Joanni II. Castellæ Regi nupserunt. Nothorum neminem Pirrus* (in Chron. Reg. Sic. pag. 74.) *nominat, nos vero Joannem de Aragonia spurium Petri II. filium fuisse scimus, quod patet ex codicillo quod penes nos exstat, facto per Fridericum III. Petri filium* 24. *Julii anno* 1377. *in quo legimus: Item* legavit magnifico domino Joanni de Aragona fratri suo naturali uncias quinquaginta annuatim super proventus Portus Lentini etc.

DE LUDOVICO.

SICILIÆ REGE.

PEtro Ludovicus filius annos natus quinque, et menses septem in Regno sub Joannis (1) Randatii Ducis ejus patrui, ex testamento patris, tutela successit, quem cum suspectum haberet (a) mater multorum Procerum suasu Panormi eodem salutis anno MCCCXLII. octavo Decembris (2) die filium, quamvis impubem, corona a Joanne Tolano Monacho genere Catalano Andreovillæ Peloponnesiacæ Civitatis Episcopo donari, ac perungi curavit (b). Nascitur autem Ludovicus Catanæ (3) quarta die Februarii MCCCXXXVII. in cujus rei testimonium Rex lubens, et gaudens Patriam Urbem ab omni hospitum, ac militum in propriis ædibus recipiendorum gravamine, nec

---

(a) *Joannes Randatii dux potentissimus Princeps erat, nam præter hunc ducatum, alterum Athenarum et Neopatriæ Guillelmi fratris morte obtinuerat, et insuper Alcamum, et Menas urbes, Castella Acis, Leonis, Francavillæ, et Troynæ, atque Insulas Melitam, et Cosyram possidebat. His fortunæ donis ea addenda erant, quæ a natura acceperat, singulares videlicet animi dotes, prudentia, justitiæ amor, dexteritas, et in re bellica eximia virtus. Suspicari propterea Regina potuit, ne Princeps adeo dives, totque prærogativis ornatus nepotem imbellem Regno exturbare cogitaret, eaque fortasse ratione, quo citius potuit filium diademate coronari curavit, fæmineo errore putans, Regnum diadematis susceptione solidari. Sed invisus forte Joannes Elisabethæ fuit, quod Palycios, quos ipsa enixe amabat, persecutus sub Petri fratris regimine fuerit, egeritque apud eum, ut extorres mitterentur.*

(b) *Erat ea tempestate Siciliæ Regnum interdicti censuræ subjectum; nam vivente Petro II. cum ad Benedictum XII. Romæ sedentem anno* 1338. *Oratores Regii missi fuerint, ut ab eo Regni confirmationem obtinerent, Pontifex volens primo Robertum Neapolis Regem cum Petro ad concordiam redigere, misit Messanam, ubi Petrus morabatur, Gozium Constantinopolitanum Patriarcham, et Raccarium Episcopum Vasionensem suos Legatos, qui pacta cum eo in hac ineunda pace statuerent. Hi vero eam urbem ingressi sunt, vexillum Roberti gerentes, quamobrem Messanenses irritati eosdem missilibus, et machinis e portu ejecerunt,*

nec non vectigalibus liberam in posterum esse voluit, prout ejus diplomate ibidem dato constat (c), quamvis id civium incuria non usquequaque observetur.

Hic pacem (d) cum Joanna hoc nomine I. ordine vero IV. Neapolis Regina (4) hac lege anno salutis MCCCXLVII. die Novembris

P mensis

---

runt, qua injuria offensi Legati Pontificium diploma ad littus reliquere, quo Sicilia omnis diris devovebatur (Fazellus dec. II. lib. IX. cap. IV.) *Eam ob caussam Archiepiscopus Panormitanus, ceterique Siciliæ Prælati, ne Romanæ Sedis odium incurrerent, consecrationi Ludovici interesse noluerunt, atque inunctionis sacræ negotium extraneo Episcopo demandatum est. Surita* (Ann. de Aragon. lib. VII. cap. XII.) *Ludovicum non in Principe Templo, sed in Ecclesia eidem propinqua coronam recepisse testatur. Contra tenet Pirrus* (Chron. Reg. Sic. pag. 75.)

(c) *Integrum hoc Diploma reperies in Catana illustrata doctissimi Viti de Amico* (lib. VI. cap. III. §. VI. T. II. pag. 135.), *qui tamen animadvertit errorem in die designando irrepsisse, cum legi debeat V. Februarii; nam Rex testatur* pridie *Elisabetham filium peperisse, qui quarta die Februarii natus est.*

(d) *Antequam Ludovicus pacem cum Joanna iniisset, parum abfuit, quin a corona Sicula excideret, regnumque nostrum in manus Andegavensium rediret. Cum enim Joannes Randatii Dux, Regisque Vicarius ad reddendam Reipublicæ tranquillitatem per civitates, et oppida circumiret, Syracusas pergens in morbum incidit. Quamvis levis esset infirmitas, sparsa nihilominus fama est, Joannem graviter ægrotare, quæ cum per hominum ora volitans sensim percrebesceret, Joannes de la Magna judex Messanensis, qui licet Vicarii familiaris esset, clanculum eum oderat, hunc mortuum jam insigni mendacio divulgavit. Quo audito Messanenses, qui Palyciorum, et Andegavensium factioni favebant, armis statim captis Strategoti domum invaserunt, eumque misere occidentes, alium ejus loco sibi elegerunt, atque Castrum SS. Salvatoris occupantes, insignia Alphonsi Regis Neapolis erexere. Sed Joannes statim ac e lecto surrexit, parato exercitu Messanam properans, quotquot fuerant rebellionis illius fautores graviter punivit, Castellum repetiit, et ad Regis obedientiam defectores Messanenses redire coegit. Ceterum admodum necessaria hæc erat pax Reginæ Neapolis; nam cum post duos a defectione Messanensi menses Alphonsus fatis cessisset, Neapolitanæ res in pejus passim ruere visæ sunt. Primates enim ejus Regni Teutonicum jugum (erat Joanna jam nupta An-*

mensis IV. iniit, (*e*) *ut pro Siciliæ Regno annuum censum ad septem aureorum millia, et quingentos, quæ Friderico indixerat Bonifacius Rom. Pont. Clementi VI. Pont. Max. in festo die SS. Apostolorum Petri, et Pauli Reginæ Joannæ nomine solveret* (5). Cæterum sortitus est Ludovicus turbulentissima tempora, multisque seditionibus tota Sicilia, Paliciorum opera, qui maxime Gallis favebant, subortis vexatus, ac omnibus fere civitatibus, et oppidis ab eo discedentibus, præter unam Catanam, quæ cum incorruptam illi semper servasset fidem, Blasci Alagonæ industria, ac prudentia omnes illos motus sedavit, ac veluti in maris procella periclitantem in portu collocavit tutissime. Sæpe siquidem Catanenses arma suscepere, ac propriis opibus (6) tarenorum decem in singulas frumenti salmas (7) sibi sponte sua imposito vectigali ipsum juvere (*f*). Unde merito Catana tunc Regum, vel Regni nutrix ab ipso Rege est appellata, ut in Templi ma-

---

Andreæ Hungariæ Regis fratri, qui secum plures duxerat Germanos, quibus Regni cura demandata fuerat) tolerare nescientes, turbas adversus Regiam familiam excitaverant. Accidit deinde Andreæ ipsius mors, qui laqueo Aversæ suspensus fuit, de qua Reginam ipsam ferme omnes criminabantur; Ludovicus Ungariæ Rex ut fratris sanguinem vindicaret, Neapolim militibus stipatus pergebat, atque a Joanne Regni nostri Vicario suppetias petebat, quibus Andegavenses, eorumque fautores ab Italia expelleret, et prope erat, ut fœdus Ungarum inter, et Siculum Reges stabiliretur. Hæc vero omnia vel invitam Joannam coercuere ad petendam a Ludovico pacem, Clementemque VI. Rom. Pont. qui infensus nostris erat, induxere, ut eam adprobaret; verebantur enim ambo, ne conjunctis viribus Reges Ungariæ et Siciliæ Andegavenses Neapolitano Regno exuerent, et Romanam Sedem pessumdarent.

(*e*) *Joanne Randatii Duce ad Mascalas peste, quæ anno* 1347. *Messanam primo, deinde universam infecit Insulam, mortuo; Palycii et Claramontani in Regis gratiam, Elisabetha procurante, redierunt, quæ res cum Aragoniis molesta esset, nata sunt utramque inter factionem dissidia civiliaque bella, vivente Rege, Siciliam devastantia.*

(*f*) *Hac sane laude nequit Catina civitas fraudari, quæ propriis opibus suorumque sanguine Ludovici partes adversus Palycios, et Claramontanos substinuit; quamvis nec sola, nec unica fuerit Regis patrona. Præterea, ut verum fateamur, pro Ludovico stetit, non quatenus Ludovicus erat, sed quod pro eo pugnaret Blascus de Alagona, qui ea in urbe do-*

maximi (quod Divæ Agathæ Patronæ, ac tutelari sacrum est) solo litteris hisce tribus C. T. R. ad futuram, et perpetuam rei memoriam ad hanc usque ætatem videre est.

Moritur autem Ludovicus maximo cum omnium tum Catanensium dolore (g) Aci oppido non longe a Catana urbe XVI. Octobris anno a Christo nato LV. supra MCCC. annos natus XVII., et XII. a quo Regno potitus fuerat, Innocentio VI. Pont. Maximo, Friderico fratre in Regnum suffecto (h). Ejus autem corpus Catanam asportatum in Templo maximo regia pompa atque apparatu conditum est. Quarto deinde die ab Regis obitu Blascus ejus tutor mœrore confectus (i) Artali, Blusco, et Joanna relictis filiis, et ipse decessit, atque in eadem æde sacra, qua Ludovicus, sepultus est. Regis autem obitus (8) caussam hanc nonnulli assignant, quod circa diem XV. Maji ejusdem anni MCCCLV. per omnem fere Insulam innumera lucustarum (quas patria lingua Siculi *Grillos* vocant) insolitæ magnitu-

 di-

dominabatur, quemadmodum non alia fortasse ratione Messanenses, et Panormitani adversi Ludovico fuere, nisi quod Palycii Messanæ, et Claramontani Panormi summam rerum gererent. Palycii autem in Regis gratiam redeuntes, Claramontanis adhuc in proposito remanentibus, obstitere, et Blasco reconciliati pro Rege bellarunt, jamque Ludovicus universam Siciliam suo imperio subegerat. Sed hæc tanta sunt, ut legenda apud Historicos sint; neque enim brevi adnotatiuncula indicari queunt.

(g) *Catinensium mœror ex quadam potius commiseratione, quod juvenem Principem immatura ætate diem ultimum clausisse inspicerent, natus est, quam quod Ludovicum plurimi æstimarent. Fuit enim hic Rex a gerenda Republica alienus, solatiis deditus, atque scortorum amator, nec unquam de frenandis factionibus, quæ Siciliam crudeliter scindebant, cogitavit.*

(h) *Cum uxorem non duxerit, legitimis caruit filiis, habuit nihilominus ex suis pellicibus nothos duos, Antonium, et Ludovicum, qui in Regio Palatio nutriti fuere, et ab Eleonora Regina educati* (Surita Ann. de Aragon. lib. VIII. cap. LX. Pirri Chron. Reg. Sic. pag. 76.)

(i) *Grandævus erat Blascus, morbisque afflictus, potuit nihilominus immatura mors Ludovici, cujus tutor fuerat, quemque eximie diligebat, ejus fatum maturare. Errat vero Maurolycus, cum Blascum* (Sic. Hist. lib. V. pag. 180.) *mense Julio anni 1355. interiisse adserit.*

dinis, ac incertæ originis multitudo in Catanensibus præsertim agris apparuit, quæ segetes, vineas, nemora, hortos, atque arbores omnes cum domesticas, tum agrestes, earumque etiam cortices amaras ad radices usque uno ubique die depastæ repentino vento in turmas, aciesque se discindere, atque aliquandiu per aera delatæ ipsum quoque cælum tenebris offundere visæ sunt. Postremo eodem impulsæ flatu in Jonium mare, cunctis rem visu jucundam cernentibus, submersæ sunt. Quorum deinde corporibus in acervum redactis, atque a fluctibus ad littora expulsis, ac putrefactis, putor aerem ita infecit, ut sævus inde morbus subsecutus omnem prope regionem, et præcipue Siciliam toto mense Julio populatus, Regem etiam ipsum vita privarit (*k*).

AD-

(k) *Fœda hæc pestis, quæ ex locustarum mortuarum putore aerem inficiente orta est, universam Siciliam populata est, innumeros equidem ad mortem traxit, inter quos Fridericum Infantem ducem Athenarum i et Neopatriæ Joannis ducis Randatii filium; sed post mensem Julium ann 1355. penitus cessavit. (V. Michaelem de Placia in Chron. mss., et Vitum de Amico in Catana illustrata* lib. V. cap. V. §. XIX.) *Ludovicus Rex, qui post mortem Friderici sui consobrini Catina cum fratre Fiderico fugerat, et Messanam venerat, in eam urbem non rediit nisi extincta jam lue, et XIV. Kalendas Octobris. Eapropter non jam ex pestifero morbo, qui nullus erat, sed alia affectus infirmitate mortuus Ludovicus est. Nobis sane verosimilior arridet aliorum sententia, qui opinantur febre autumnali, quæ vel longa, vel mortalis est, ut medicorum adagium est, fuisse correptum, et paucos post dies interiisse: autumni tempestas, labores a venatione individui, moresque non admodum, ut diximus, casti in adolescente nimium fervido potuere ægritudinis huic aditum præbere, eumque ad tumulum trahere.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Obiit autem Joannes hic ad Mascalas, seu, ut volunt alii, Catanæ Aprili mense an 1348. peste, quæ universum fere orbem, atque in primis Italiam totam depasta Messanam quoque primum, deinde Catanam grassando pervasit (*a*), et in Templo maximo Catanæ, eodem quo Fridericus pater tumulatus est sarcophago; in cujus locum ad puerum gubernandum Blascus Alagona suffectus est.

2. Octavo Septembris, Maurolicus (*b*).

3. Ita Rex ipse asserit in Privilegio dato Catanæ die 14. Martii 1353., quo concives suos immunes esse voluit a solutione juris tricesimæ (utor verbis ipsius) et sexagesimæ, quosque pro quibusvis causis, et litibus tam civilibus, quam criminalibus, seu mixtis (Majestatis læsæ crimine, Feudorumque quæstionibus exceptis) per magnam Curiam, aut alium Magistratum extrahi invitos non posse.

4. Hæc ea est Joanna Caroli, qui ante Robertum patrem Neapolis Regem decessit, filia, quæque anno fere 1345. Andream proprium

(a) *Perlongam, et lacrymabilem hujus pestilentiæ descriptionem adfert Michael de Placia ejus ævi scriptor in sua Chronologica Historia, quæ lucem, nescio quo fato, adhuc non aspexit, eaque legi potest inter libros editos apud Amicum in Catana Illustrata* (lib. VI. cap. IV. §.XI.) *Pervasit primum Syracusas, Saccam, Drepanum, et Agrigentum; deinde Catinam ingressa hanc urbem tum fœde vastavit, ut, nec Tabelliones amplius essent, qui morientium testamenta exscriberent, nec Sacerdotes, qui animam efflantibus succurrerent, paucis, qui reliqui erant, trepidantibus, et ad infirmorum domos venire recusantibus, Dux Joannes mortem timens, nolensque inhabitata loca propter aeris infectionem incolere, hac illac per nemora cursitabat, et modo hic, modo illic latitans incolumem sese et sanum summo cum gaudio conservabat. Frustra vero insequentem mortem declinamus, Joannes dum in loco, qui dicitur Sancti Andreæ, prope nemus Mascalarum, securus morabatur, ex improviso morbo eodem se affectum sensit, brevique occubuit.*

(b) *Maurolycus* (Sic. Hist. lib. V. pag. m. 178.) *non octava, sed decima quinta Septembris die Ludovicum mortuum asserit.*

prium virum Regis Ungariæ filium Philippæ Catanensis (c) fœminæ, ejusque filii Roberti Regni Præfecti, ac Sanctii (d) cujusdam opera Aversæ laqueo in ipsis regiis ædibus enecavit, et ad secundas nuptias cum Ludovico sive Aloysio Tarentinorum Principe, et ipsius Roberti Regis ex fratre nepote transiit.

5. Ab

(c) *Cum Roberto Calabriæ Duci, et Jolanda uxore filius natus esset Catinæ anno* 1300. *ubi bellum pro patre gerebat, Philippa Catinensis, quæ fullonum artem exercebat, nutrix recens nati Principis eligitur, quæ tantam indepta est Jolande gratiam, ut tametsi Ludovicus infans, quem lactabat, moreretur, nihilominus Neapoli in Regio Palatio remanserit, atque deinde mortuo viro nuptui tradita fuerit Raymundo Cabano, qui ex humili quoque fortuna regiarum Culinarum curator evaserat, quod grave erat apud Reges Andegavenses officium, factus deinde harum nuptiarum occasione Regius Eques favore uxoris, quæ Sanciam quoque alteram Roberti conjugem, et Mariam hujus nurum sibi devinxerat, etiam Regius Structor, quem* Senescallum *vocant, electus est, quod munus in feudum recepit, ut in eo exsequendo filii hereditario jure succederent; ipsa vero Philippa Joannæ, quam Maria pepererat, educatrix, et gubernatrix renunciata est. Interim Joanna adolescente, mortui Philippæ sunt vir, et filii, postremo excepta, nempe Roberto, qui cum clericali militiæ esset addictus, habitu Ecclesiastico deposito, Structoris officium, quod hereditate ipsi contigerat, exercuit. Frequentia Roberti apud matrem, quæ Reginæ adsistebat, caussa fortasse fuit, ob quam Joanna ejus amare capta est, Philippaque lenocinium agente, in ejus amplexus, ut ferunt, venerit, cœperitque Andreæ Ungarici viri sui tædere, et Roberti amore ad insaniam usque exardescere, deque Andrea Manibus tradendo cogitare. Cui execrando parricidio, et Philippam, et Robertum, et Sanciam manus admovisse probabile est. Has post Andreæ necem Ugo Comes Avellini captos, et cruciatibus tortas, et confessas, jussit plaustris ad supplicii locum nudos conduci, carnifice interim eorum carnes forcipibus dilaniante, tandemque vivos comburi. Fertur Philippam senio confectam tormenta substinere haud potuisse, et priusquam ad rogum perduceretur, extremam animam exhalasse.*

(d) *Sanctium Paternonius dicit, nos vero Sanciam potius nominavimus Philippæ, et Raymundi neptem, et Marconis Comiti nuptam, hujusque rei testem habemus Franciscum Petrarcham, qui cum æedituus Reginæ Joannæ esset, et quæ acta tunc fuere, propriis oculis inspexerit,*

dignus

5. Ab hoc censu Siciliæ Reges in hunc modi liberati sunt; agente enim Gregorio XI. Pont. Max. hac lege pax inter Joannam post Ludovici ejus viri obitum, et Fridericum III. Siciliæ Regem, de quo paulo post, est composita, ut Fridericus Joannæ Reginæ, quoad ipsa viveret, illum solveret. Totum igitur jus exigendi censum hunc a Rom. Pont. pro Siciliæ Regno (e) in Neapolis Reges transfusum est, a quibus hoc adhuc tempore, et die SS. Apostolorum præfixo maximo cum apparatu, ac tota lætitia, et gaudio perfusa urbe Roma, spectante populo, persolvitur.

6. Species est monetæ Siculæ (f), aurei pars duodecima.

7. Salma tritici est mensura, quæ ad annuum cibum cuilibet sufficiat.

8. Ex Maurolyco potissimum, et Thoma Fazello in Historia (g).

DE

dignus est, cui fides omnino adhibeatur (*Vide ejus opus* Casi degli Uomini illustri lib. IX.), *cui adhæsis omnes ferme Neapolitanos historicos, qui Sanciam, non Sanctium inter auctores necis Andreæ enumerant, Constantium, Summontium, Giannettasium, Giannonium, ceterosque.*

(e) *Censum pro Siciliæ Regno Ecclesiæ Romanæ haud deberi, quamvis Romani Pontifices hoc sibi arrogaverint, in comperto est, cum hæc Insula nuspiam ad eam Ecclesiam pertinuerit, vanæ enim sunt, quæ jactantur donationes. Quod si quandoque Papæ dominium hujus Regni, sive* investituram *ut ajunt, Siciliæ Regibus concesserint, ab iisque census solutus eam ob rem fuerit; id equidem calamitati, et conditioni temporum tribuendum; unde factum est, ut ne vi a possessione Regni exturbarentur injustum jugum sibi imponi passi sint, illud a suis cervicibus dejicere parati, quando feliciora momenta advenirent. Sed hac de re satis superius egimus.*

(f) *Neapolitani quoque suos habent* tarenos, *qui tamen non sunt cum Siculis confundendi, nam duplum valent, et unus Neapolitanus duos Siculos continet, sextaque est Aurei nostratis pars.*

(g) *Neuter horum scriptorum peste consumptum Ludovicum Regem adseruit.*

DE FRIDERICO III.

QUEM SIMPLICEM APPELLANT.

LUdovico mortuo Fridericus ejus germanus frater, cognomento Simplex, XIII. annos natus in Siciliæ Regnum hæreditario jure (*a*) successit, qui cum ab se defecissent Messanenses (*b*) utpote qui Ludovicum, qui et Aloysius alio nomine dicitur, Neapolitanorum Regem cum uxore Joanna intra mœnia admisissent, (*c*) unam tan-

(a) *Fridericus Messanæ erat morbo oppressus, quando Ludovicus erat frater obiit. Statim ac convaluit generale colloquium ea in Civitate convocavit, ubi Regni Proceres, et urbium, atque Terrarum Syndici juramentum fidelitatis eidem præstarunt. Eo in Concilio, quod Rex juvenili esset ætate, et quod pejus erat, bardum a natura sortitus esset ingenium, statutum fuit, ut tutor eidem constitueretur, qui Vicaria potestate Regnum gubernaret, maloque Siciliæ fato, electa ad hoc munus est Euphemia ejus soror, natu major, quæ velamen monasticum in cœnobio divæ Claræ sacro susceperat, cerebrosa, et difficilis mulier, quæque dissidia inter factiones Catalauniorum, et Claramontanorum non modo non extinxit, sed mirifice fovit, regnumque fratri turbulentissimum reddidit.*

(b) *Dominabatur Messanæ Henricus Rubeus, qui Matthæum Palycium regnante Ludovico trucidaverat, tantamque apud Euphemiam gratiam nactus erat, ut nihil eo inconsulto fieret. Nimiam hujus auctoritatem execrabantur Messanenses illi, qui Palyciorum factioni adhæserant; inter quos Oliverius Protonotarius, qui cum suis apud Neapolis Regem secreto egerat, Castri S. Luciæ possessionem promittens, si cum manu militum ad coercendam Henrici Rubei temeritatem in Siciliam veniret. Hac machinatione detecta plures vincti, et carceribus mancipati sunt, sed cum instituto examine innotuisset, multitudinem pene omnem Messanensium Andegavensibus favere, tutam haud esse ea in Civitate Regis moram agnitum est, deque eo in securiorem locum ducendo cogitatum.*

(c) *Sero admodum Ludovicus, et Joanna intra mœnia Messanensia recepti sunt, nam primo Fridericus mense Martio anni 1356. Messana egressus Tauromenium venit, ubi raptus e manibus Euphemiæ, et Henrici Rubei ab Artali de Aragona, Catanam ductus est. Civilia deinde bella exorta sunt inter Artalem de Aragona, suosque Catalaunios parte ex*

tantum Catanam fidissimum, tutissimumque asylum habuit, cujus opera, agente maxime Artali (2) de Alagona, se semper ab hostibus defendit, atque tutatus est (*d*). Nam juxta Acis oppidum castrametati cum essent Ludovicus, et Messanenses, obviam illis aggressi Catanenses una cum ipso Rege eos ita profligarunt, ut præter cæsos multos, et captivos, reliqui terga vertere turpiter, relictis militaribus vexillis (3), quæ in Catanensium venere potestatem, compulsi sint. Qua parta victoria Messanam deinceps facili subegit negotio, ac

Q

ex una, et ex altera Henricum Rubeum, cui Vigintimillii, et Claramontani conjuncti erant. Post hæc Messanenses tumultum adversus Rubeum, ejusque fautores excitarunt, atque dispersis hostibus Artalem de Aragona Messanam advocarunt, qui statim castra in eorum auxilium movit. Dehinc Euphemia fratri consilio Artalis de Aragona reconciliata Catinam venit, ubi summis honoribus excepta fuit. Interea versipellis Nicolaus de Cæsareo, qui Strategoti officio Messanæ fungebatur, ex improviso insignia Ludovici, et Joannæ in Castris suæ ditioni subjectis erexit, atque Nicolaum Acciajuoli horum Principum Structorem, militesque ab eo ductos eam in civitatem introduxit, tandemque die vicesima quarta mensis Decembris anni ejusdem 1356. Reges illi Messanam ingressi sunt. Novem itaque menses elapsi fuere, cum egresso Friderico Messana, eam in urbem Ludovicus, et Joanna admissi sunt.

(d) *Etsi non inficiemur Catinenses Friderico Regi fuisse fideles, eumque proprio sanguine defendisse, suoque ære coronam eidem substituisse, dubitari nihilominus nequit Regni, et diadematis conservationem, Artalis præcipue de Aragona, et Catalauniorum virtuti deberi. Is enim, et Orlandus de Aragonia Regis patruus, ceterique Catalaunii collatis cum Catinensibus viribus persæpe hostes, qua factionis Claramontanæ, et Vigintimilliorum, qua Neapolitanos vicerunt, fugaruntque. Percelebris est navalis pugna prope Catinam, per quam Catalauni, qui casu in Siciliam venerant, classem Neapolitanam, quæ in illis maribus versabatur, aggressi, duce Artali de Alagona, penitus profligarunt 29. Maji an. 1357. locupletissima facta præda. Unde evenit, ut exercitus Andegavensium, a quo Catina obsidebatur, statim recederet fugeretque : terrestris exercitus, ait auctor continuationis Chronici apud Martene, quæ exstat in Bibliotheca Senatus Panormitani ....* sinistro dictante Galearum casu perterritus, fugiens potius, quam recedens abscessit, dimissis in Terra Jacis spoliis quibuscumque.

ac suo adduxit imperio (*e*). Id quod ex diplomatibus (4) a Rege in Catanensium commendationem, quæ in ipsorum Archivis ad hunc usque diem asservantur, (*f*) clare liquet. Et quamvis aliqui, nescio qua ducti æmulatione, hanc Catanæ urbis fidem in Regem (*g*) ipsiusque hostes, ac rebelles victoriam silentio involverint, Franciscus tamen Maurolycus, vir in mathematicis disciplinis alioqui insignis, in suo rerum Sicanarum compendio lib. V. veritatis (quæ oculus est, et historiæ spiritus) quam patriæ (erat enim Messanensis) magis amicus, rem ipsam disertis scribit verbis, etsi quod Catanensium opera victoria Rex sit potitus subticeat. At ubi ex Constantia Petri IV. hoc nomine Aragonum Regis filia, quam anno ab orbe redempto MCCCLX. sibi copularat uxorem, Fridericus Mariam suscepisset Messanæ (*h*) mense Julio anno a Virginis partu LXXVII. su-

(e) *Messana ad Imperium Friderici non rediit, nisi postquam Ludovicus, et Nicolaus Acciajoli vitæ cesserunt, atque Neapoli seditiones, et tumultus excitati sunt. Quamvis enim Manfredus de Claramonte, ut Regis gratiam iniret, sæpe tentaverit Messanenses concitare, ut ejectis Andegavensibus, Friderici dominio subjicerentur, numquam nihilominus id impetrare potuit; nam Acciajolius quoad vixit, urbem hanc ceterasque civitates, et oppida, quæ sub ditione Ludovici, et Joannæ erant, in debita suis Regibus obedientia continuit. Mortuo autem vigili hoc custode die 27. Octobris anni 1366. Siculæ res immutatæ sunt, atque Manfredi opera Messanensis civitas, ceteræque Urbes, et Terræ, quæ a Friderico discesserant, in ejus venere manus; adeo quidem ut universa Insula ipsum unum Regem veneraretur.*

(f) *Legesis hæc diplomata apud Amicum Catanæ Illustratæ lib. VI. cap. VII. §. III. et seq.*

(g) *Non omnes æque Catinenses fideles Regi Friderico fuere: notum est Regicidium a Magistro Thoma XIII. Octobris anni 1371. mandato Conradi Castello Catinensis Equitis tentatum, quando Fridericum in Ecclesia S. Francisci Messanæ cultro feriit, cujus facinoris criminalia acta typis edidimus* (Memorie per servire alla Storia letteraria di Sicilia *T. II. P. IV. pag.* 235.) *anno* 1756. *mense Octobri, quæ legisse non pœnitebit.*

(h) *Præter Constantiam Regis Aragonum natam, quæ postquam filiam Mariam enixa fuit, febre oppressa, tertia a puerperio die Catinæ mortua est, aliam duxit Fridericus uxorem, Antoniam nempe Ducis Andriæ*

supra MCCC. Gregorio XI. Pont. Max. Romæ Ecclesiam moderante, e vivis excessit, et in æde Divo Francisco sacra ibidem conditus est (*i*), cum antea Constantia ejus uxor Catanæ mense Julio anni MCCCLIII, et ipsa suum clausisset diem.

driæ filiam, et Reginæ Joannæ sanguine conjunctam, quæ cum Rhegium cum viro fugiens, ut ab Henrici Rubei manibus liberaretur, in mare sese projecisset, tanto terrore perculsa est, ut post sex dies obierit. Cum vero mascula prole careret, tertio sponsalia cum filia Ducis Mediolani contraxerat, quæ tamen infecta remansere, præmortuo Friderico Messanæ, reliquit vero præter Mariam legitimam filiam, nothum alium, Guillelmum nempe, quem constituit Insularum Melitæ, et Gaudi dominum, bonorumque maternorum, quæ in Germania Rex possidebat, heredem.

(i) *Nimium Princeps iste Ordinem Franciscanorum dilexit, cotidie enim in eorum conventu, et Ecclesia morabatur. Narrat Carusus (Mem. Stor. T. II. lib. VIII. vol. II. pag. m. 245.) Fridericum in eorum Templo* confraternitatem, *ut ajunt, sub titulo S. Mariæ Partus instituisse, in qua sepe habitu fratrum, quos* Terziarios *vocant, indutus, visus est pietatis opera exercere. Interea vero Sicilia sibi concredita pessum ibat, ministris, et familiaribus regimen ad arbitrium administrantibus. Tantopere ea tempestate ignorantia, et superstitio dominabantur.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Ex Fazello lib. 3. posterioris decadis cap. *6*.

2. Is ille Artalis est, qui Templum Divæ Mariæ a nova luce, et Carthusianorum Cœnobium illi adjunctum ad occidentem, milliario ab urbe Catanæ, a fundamentis erexit, ac multis ditavit prædiis, ut ex ejus litteris Catanæ anno salutis 1378. mense Martio constat; quod tamen Urbanus Pont. Max. non diu post ad D. Benedicti Institutum transtulit. In hunc quoque Procerem Acis oppidum e Catanensi Episcopatu temporis processu ex Pontificis Maximi consensu 75. aureorum censu annuo imposito, translatum est, quod et ad Regem tandem eodem onere recidit (*a*).

3. Hæc asservata sunt Catanæ ad ætatem usque meam, quæque ut jurgiorum inter Catanenses, et Messanenses seminarium Joannes Vega Prorex flammis absumi jussit (*b*).

4. Legi ego hoc Friderici Privilegium, sicut et aliud Reginæ Constantiæ ejus uxoris in eamdem sententiam. Tum et aliud Reginæ Blanchæ Martini primi Siciliæ Regis conjugis, de qua postea, datum in Castro Leontino die 22. Decembris MCCCCIII. quo rata habet Blanca prædicta Friderici, et Constantiæ privilegia, quibus et aliæ multæ conceduntur Catanensibus immunitates, ex quibus res tota adeo redditur clara, ut qui id negat, cæcutire lucente sole videatur. Hæc autem idcirco a me fusius, quam par erat, scripta sunt, ut veritas ipsa, qua nil in Historia optabilius, a tenebris eruta, aliquando tandem elucescat.

DE

(a) *Id accidit sub Austriacis Principibus circa annum* 1528. *sub Carolo V. Imperatore, Catinensibus, qui aureos bismille, et quingentos solverunt, ut hoc oppidum ad Regis dominium rediret. V. Amicum in* Catana Illustrata (*lib. VIII. cap.* 1. §. *XII. T. II.*)

(b) *Utut fateamur Joannem de Vega, qui diu apud nos Regni habenas tenuit, plura in Messanensium favorem gessisse, præcipue cum renuentibus, obsistentibusque Catinensibus studiorum Universitatem Messanæ erigi obtinuit, Vexilla nihilominus Messanensia, quæ trophæi loco Cives Catanenses conservabant, flammis absumi jussisse apud quempiam non legimus, nec Vitus de Amico diligentissimus Rerum Patriarum scrutator ejus facti meminit.*

DE MARIA
FRIDERICI
FILIA
SICILIÆ REGINA.

MAria, Friderico patre vita functo, in Siciliæ Regnum jure (1) est adscita. Hæc a Guillelmo Raymundo Moncata Augustæ Comite (a), quamvis renitens clam e Castro Ursino Catanæ urbis abstracta (b), (quod primates viri, inter quos Artalis de Alagona po-

(a) *Filiæ quatuordecim jam annos natæ Fridericus III. Artalem de Aragona tutorem testamento per Tabellionem Bonum Maniscalco, die 19. Julii anni 1377. conscripto, destinaverat, quæ novorum jurgiorum inter Siciliæ Primates causa fuit, ægre Claramontanis, et Vigintimilliis, quibuscum Guillelmus Raymundus de Moncada erat, ferentibus, Reginam Siciliæ heredem non Siculis, sed Aragoniis fuisse commendatam. Cum vero Artalis cum Galeacio Vice-Comite, et Comite Virtutis constituerit, ut in Siciliam cum copiis Mariam in uxorem ducturus cito veniret, Claramontii, et Vigintimillii, quibus ejusmodi nuptiæ displicebant, Petro IV. Aragoniæ Regi auctores fuerunt, ut minime pateretur, Siciliæ regnum a sua familia distrahi, qui missis prope Pisas triremibus, Giliberto de Cruillas, quem præfecerat, præcepit, ut naves, et milites Vicecomitis, qui erant in Siciliam profecturi, aggrederetur, uti factum est; Regiæ enim triremes justam de Mediolanensibus, qui nihil tale suspicabantur, victoriam reportarunt. Turbatis ea ratione Galeacium inter, et Mariam sponsalibus, cogitatum est hanc Principem ab Artalis manibus eripere, et ejusmodi raptus Guillelmo Raymundo de Moncada viro audaci concreditus fuit.*

(b) *Messanam Alagonius* (*ignota nobis caussa est*) *profectus erat, hancque occasionem nactus Raymundus nocte parva triremi ad Castrum Catinæ accessit, pavidamque Reginam, quæ in lectulo jacebat dormiens,* ra-

potissimum, cujus arbitrio ex patris testamento inibi custodiebatur, eam pro libito nubere vellent) ac Barcinonem translata Martino Aragonio Martini ducis Montis Albi Lunæque Comitis, ac Joannis Aragonum Regis ex Petro patre (c) hujus nominis IV. Aragonensium Rege germani fratris filio in uxorem copulata Siciliæ Regnum dotis nomine tradidit; sed reversa inde in Siciliam cum Viro ac Martino socero anno salutis nostræ MCCCLXXXVI. die Martii mensis XVI. (d) Catanæ tandem Bonifacio IX. Pont. Max. occubuit, ibique in Templo maximo sepelitur anno ab orbe redempto MCCCCII. Regni vero

---

rapuit, et primum in Augustæ oppidum, cujus erat dominus, duxit, sed cum Artalis iratus vellet castrum illud aggredi, quod satis firmum non erat, in Leocatense idque munitissimum Reginam transtulit die 22. *Junii* 1380. *postquam Augustæ per sex menses morata esset. Tandem cum Petrus IV. triremes complures in Siciliam misisset, Duce Vicecomite de Roccaberto, huic Maria credita est, qui eam Barcinonem conduxit, ubi ejus curam gessit Regina Eleonora Mariæ Amita, erat enim Friderici III. soror, et Petri Aragonii Regis uxor.*

(c) *Petrus IV. cum nollet Siciliæ Regnum, in quod summum jus se habere contendebat, ab Aragonia familia avellere, illud Martino Duci Montis Albi secundo loco sibi nato donavit, hac tamen conditione, ut is filio, qui Martinus etiam nuncupabatur, Insulam cederet, qui deinde Mariam, quæ superstes Friderico fuerat, uxorem duceret, atque adeo sive uxorio nomine, sive Avi, et Patris donatione Siciliam gubernaret. Cum vero Martinus junior immaturæ adhuc esset ætatis, dilatæ nuptiæ sunt usque ad annum* 1391. *quo ad finem vergente die* 29. *Novembris sollemni pompa celebratæ sunt. Spatio undecim annorum, qui ab anno* 1380 *ad annum* 1391. *fluxerunt, Sicilia a quatuor Dynastis, veluti Vicariis administrata est, Artali nempe de Alagona, Francisco de Vigintimillio, Manfrido Claramonti, et Guillelmo Peralta, ut ex epistola Martini quæ apud nos exstat, Barcinone scripta* 11. *Junii anni* 1383. *constat; licet ultimis Friderici tabulis solus Artalis Reginæ tum fuerit constitutus.*

(d) *Errat hic auctor; Maria enim cum duobus Martini Regusam Insulam appulit* 21. *Martii ann.* 1392., *et post tres quatuorve dies Drepanum.*

vero XXX. mœrore confecta ex Friderici septennis unigeniti morte, dum hastiludio coram utroque parente se exercet (c).

AD-

(c) *Commentum hoc, cujus solus Fazellus, quem Paternonius sequitur, meminit, facile exploditur, cum constet Fridericum non anno* 1391. *sed* 1398. *fuisse Mariæ natum, quare eum mortuus est anno* 1400. *duorum annorum ætatem vix compleverat, nec aptus ut ha*stiludio *exerceretur. Quis autem dixerit Mariam filii luctu exterritam vita excessisse, cum biennio post supremum ille diem obierit?*

ADNOTATIO AUCTORIS.

1. Hoc est tam ex patris testamento, quam ex fœdere inter Fridericum, Joannam, ac Pontificem Maximum firmato. Ita enim inter se convenerant, ut Fridericus, ejusque posteri Sicilia cum Insulis adjacentibus potiretur; proximum tamen, ac directum dominium, ut vocant ad Pontificem spectaret (a). Quapropter eorum uterque, hoc est cum Fridericus, tum Joanna Romano Pontifici, quicumque is fuerit, homagium ut subditus præstet, et ab eo se Regna habere cognoscat ex Fazello lib. 9. posterioris decadis cap. 6. in fine.

DE

(a) *Hoc Friderici factum nihil detrimenti attulit Serenissimis Siciliæ Regibus, nec jactatum a Romana Sede in hoc Regnum dominium confirmavit. Nam præterquam quod non sanæ mentis erat Princeps, ut notum est, nec quid faceret sciret, durus eorum temporum status, quo susque deque singula in Sicilia versa erant, tum ob intestina nobilium odia, cum ob interdictum, quod Christi fideles torquebat, et ob bella, quibus ab Andegavensibus vexabatur, quærenda, quomodocumque, etiam injustis conditionibus, pax erat. Bonifacius vero hanc captans occasionem, cum stabiliendæ pacis leges ipse ferret, omni conatu Sanctæ Sedis auctoritatem amplificare sategit. Immutata vero temporum conditione, qui successere Reges, non dominium ullum pro Regno Siciliæ in Romanis Pontificibus agnovere, nec tributarios Romanæ Ecclesiæ sese professi sunt. Vide eximium opus Hieronymi Settimo* de Summa potestate Serenissimorum Siciliæ Regum, quam immediate a Deo recognoscunt. (*Tom. XV. degli Opuscoli Siciliani*).

DE MARTINO I.

SICILIÆ REGE.

MArtinus (*a*) igitur, ubi Maria e vivis excessit sine liberis, quamvis ille Rex esse deberet, quem sibi Siculi ipsi delegissent, jure, sive injuria ob generis propinquitatem (quod scilicet ex Jacobo I. Siciliæ Regi Petri I. nato, cui deinde ad Aragonum Regnum ob Alphonsi fratris abdicationem ascito Eridericus ejus frater suffectus fuerat, ut in superioribus diximus, se originem trahere affirmabat) Siculum Regnum, Siculis tamen non abnuentibus, statim invasit (*b*). Verum non multo post ad secundas transiens nuptias Blancæ (*c*) nempe Philippi III. Navarræ Regis filiæ, ac trajiciens in Sardi-

R

(a) *Martinus, vivente etiam Maria, tamquam Siciliæ Rex habitus fuit, forte uxorio jure, regnique gubernacula tenuit, atque in publicis monumentis Regis Siciliæ nomen constanter usurpavit. Ea mortua Martinus Pater, qui Aragonense sceptrum obtinuerat, subdubitans, ne Siculi alium sibi Regem eligerent, plures statim triremes cum militibus in Siciliam misit, quibus præerant Jacobus de Prades, et Raymundus de Bages suppetias filio allaturi, ut testatur Surita.* (Annales de Aragon. *lib. X. cap. LXXIV.*) *Sed Siculi non destiterunt ab obsequio, quo velut proprium Regum Martinum prosequebantur, sive quod starent Mariæ testamento, quæ, ut idem narrat Surita, heredem in Regno Virum designaverat, sive quod acquieverint donationi Martini senioris, ad quem jure Regnum spectabat, sive quod natus esset ex Eleonora Friderici III. sorore, sive quod Petro I. et Constantiæ Manfredi filiæ succederet.*

(b) *Ex his, quæ antecedente adnotatione observata sunt, nequit hæc invasio dici, sed continuata fuit in Regno successio. Sunt qui putant eum tamquam Patris Vicarium Regni habenas moderatum, quod præ ceteris Carusius somniavit* (Mem. Stor. *P. II. lib. X. T. II. vol. II.*) *quod si verum fuisset, qui potuisset suis in diplomatibus* Rex Siciliæ *nuncupari? quod passim legimus.*

(c) *Cogitaverat Martinus Joannam Regis Ladislai sororem sibi in uxorem ducere, sic consulentibus ejus familiaribus, cum fieri potuisset, ut hac ratione (Ladislaus enim prole carebat) in unum tandem Neapolitanum cum Siculo regno, ut olim erat, reduceretur, omnisque belli ali-*

diniam (*d*), quam strenue, quod a patre descivisset, superavit, apud Callarim nulla relicta prole (*e*) Alexandro V. (1) Romano Pont. anno salutis MCCCCIX. Julii die XXVIII. moritur (*f*), et in templo maximo more regio tumulatur, cum primæ uxori annis septem supervixisset (*g*).

AD-

aditus occluderetur, sed Pater Aragoniæ Rex has nuptias reprobavit, Blancamque regni Navarræ heredem sponsam filio constituit. (*V. Surita ib.*)

(d) *Quæ egerint Siculi in hac Sardiniæ expeditione, quæque auxilia militum, et victualium suppeditata a Regno Regio exercitui fuerint, vix dici potest, nec quit brevibus adnotatiunculæ limitibus eorum narratio concludi.*

(e) *Notat Surita* (lib. X. cap. LXXXIV.) *Blancam filium fuisse enixam, qui vix natus mortuus est.*

(f) *De causa ejus mortis non conveniunt scriptores; nonnulli enim virulenta et pestilenti febre obiisse autumant, quod negat Laurentius Valla, neminem probans in exercitu hoc morbo fuisse correptum. Aliis vero placet Martinum in febrem incidisse, sed cum adhuc convalesceret eum pulcherrima fœmina cubasse, quæ res iterum in morbum non satis sanum Regem traxit, quo invalescentè mortuus est. V. Surita loco cit.*

(g) *Si Maria, ut constat, anno* 1400. *vivere desiit, Martinus vero anno* 1409. *hic non septem, sed novem annis uxori supervixit.*

ADNOTATIO AUCTORIS.

1. Fuit Alexander Cretensis Monachus Franciscanus, vere, ac jure Pontifex a Concilio Pisano electus. Contendebant tamen de Pontificatu tunc quoque Joannes XXIII. Neapolitanus, Gregorius XII. Venetus, et Benedictus XIII. Aragonensis, quos ob id merito Antipapas vocant.

DE MARTINO II.

SICILIÆ REGE.

MArtino primo Martinus pater, quem ob id et seniorem appellant, Aragonum Rex (vita enim functo absque masculis Joanne fratre Rege, dum is in Sicilia cum Martino filio, ac nuru degeret, in Aragoniam reversus anno a Christo nato MCCCXCVIII. Cæsaraugustæ Rex fuerat declaratus) tamquam filio propinquior, (*a*) et ex eo quod Jacobo, uti diximus, quondam Siciliæ Rege suum duceret principium, Regni sceptro potitur (*b*), ac decimo post mense sine liberis (*c*) et ipse decessit Cœnobio Vallis Donzellæ prope Barcino-

---

(a) *Non sola propinquitas cum filio, sed jus etiam alienatam rem, eo mortuo sine heredibus, cui concessa fuerat, recuperandi. Observavimus Petrum IV. Siciliæ Regnum, quod sibi debitum reputabat, Martino huic secundogenito cessisse, et hunc Martino juniori filio; quapropter mortuo absque filiis Martino hoc juniore jus in Regnum Siciliæ ad eum rediret necesse erat, a quo defunctus acceperat.*

(b) *Martinus junior cum in Sardiniam proficisceretur, Blancam uxorem Vicariam Regni destinaverat. Eo vero mortuo Bernardus Caprera Motucensis Comes, qui Magni Justitiarii officio fungebatur, contendit, nec injuria, Vicariam potestatem cecidisse, sibique juxta Regni constitutiones supremum deberi dominium. Sed Regina nolens gubernacula deponere, Bernardi votis adversabatur, objiciens morte Principis non cessare Vicariam potestatem, atque attendendam novi Regis electionem; nec defuere, qui Blancæ caussam substinuere, quos inter precipuus fuit Sancius Ruitz de Lihori, infensissimus Capreræ hostis. Scissa hinc Insula est duas in partes, quarum alteri Blanca, alteri vero Caprera dominabatur. Sed statim atque infausta mortis filii fama ad Senioris Martini aures allata est, jussit Blancam in Vicariatus officio permanere. Nec propterea Motucensis Comes Aragonii Regis jussibus obtemperavit, sed pertinax in proposito remansit, et quousque Martinus vixit, discerpta exstitit Sicilia, bellisque civilibus immersa mansit.*

(c) *Ut liberos relinqueret ad secundas transiit nuptias, duxitque formosam puellam, Margaritam scilicet, Petri de Prades filiam. Verum nu-*

cinonem; eodem Alexandro Pont. Max. ultima Maji die anni insequentis a morte filii. Sed et Blanca Regina secunda Martini primi uxore testamento Regni Siciliæ Vicaria constituta, Aragonensium primariis, ut Regem sibi maxime propinquum, eumque prudentissimum eligerent, legavit.

DE

nuptiali copula, et medicaminibus, quæ, ut filios gigneret, cotidie deglutiebat, fatigatus, ad vitæ finem properavit, et fama est, Margaritam virginem fuisse relictam. (Surita, Mariana, aliique Hispani historici sic scribunt).

DE FERDINANDO

SICILIÆ I. ET V. ARAGONUM REGE

COGNOMENTO JUSTO.

EX Martini testamento, cum plures in Aragonia Proceres (1) intestinis bellis, quod Regna quisque non levibus rationibus ducti affectarent, se mutuo discerperent (*a*), res tandem ad novem compromissarios Judices ex singulis regionibus, Aragonia, Valentia, ac Catalaunia ternos (*b*), inter quos Divus Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum unus, deducta est (*c*). Hi sumpto prius sanctissimo

---

(a) *Complures erant, qui jus sibi ad Aragoniæ Regnum vindicabant, viventeque Martino postulabant, ut heres ad bella auferenda destinaretur. Aloysius Andegavensis Neapolis Rex pro filio Calabriæ Duce, quem enixa erat Violanta Aragonia Joannis I. Aragoniæ Regis filia, et pro seipsis Comes de Urgel, Dux Gandiæ, Ferdinandus Castellæ infans, aliique. Nec desitum est coram Rege jam jam morituro de successione disputari. Qui tamen eos omnes excludere, eorumque loco Fridericum nepotem Comitem Lunæ, quem ex scorto Martinus ejus filius genuerat, eligere exoptabat, cumque obstarent illegitima natalia, ab Antipapa Benedicto XIII. cui ipse adhærebat, postulavit, ut legitimus Pontificio rescripto declararetur, quod et nullo negotio obtinuit.*

(b) *Mirabitur fortasse quispiam, cum cetera Regna tres arbitros elegerint, qui de successore definirent, solum Siciliæ Regnum nec suos destinasse, nec quempiam in Aragoniam misisse, qui de legis Siciliæ juribus conquereretur. Sed hæc erat ea tempestate misera nostrorum conditio, ut domesticis discordiis distenti de eligendo Rege ne γρυ quidem cogitaverint, siverintque per hanc ἀνααρχολίαν Siciliam, veluti Provinciam ab Aragonia dependentem reputari. Injuriam Regno factam, quod proprios semper habuit Reges, reparare deinceps conati sunt, sed sero, ut dicemus.*

(c) *Novem hi arbitri fuere: pro Aragoniæ Regno Dominicus Ram Huescæ Episcopus, qui deinde cum Antonio Cardona Prorex Siciliæ fuit, Franciscus de Aranda, et Berengarius de Bardaxi: pro Catalauniæ Regno Archiepiscopus Tarraconis, Guillelmus de Valseca, et Bernardus de Gualbes; et tandem pro Valentiæ Regno Bonifacius Ferrer, quem Carthu-*

mo Eucharistiæ Sacramento toto inspectante populo, et auditis per dies XXX. competitoribus, ac pluribus deinde mensibus in Gapsæ in Aragonia oppidi arce munitissima ea lege, ut inde eis, nisi Rege prius declarato, egredi non liceret, cum candidatorum omnium rationes, ac jura diligenter expendissent XXIX. Junii die MCCCCXII. Divus Vicentius e suggesto coram omni hominum multitudine Ferdinandum Castellæ, ut vulgus vocat, Infantem Joanni primo ejus Provinciæ Regi secundo loco natum filium, ac Martini Senioris, ex Violanta (2), seu Eleonora nepotem, eo loco tunc absentem, omnium Judicum (d) voce Aragonum Siculorumque Regem pronunciavit (e), ac exultantibus cunctis tertio Septembris ejusdem anni in æde

thusianum fuisse ferunt, ejus frater Vincentius Ferrer, et Ginerus Rabasa, qui postremus, cum decrepita esset ætate, ineptus ad judicandum habitus est, ejusque loco a ceteris octo Petrus Beltrandus suffectus est (*Mariana lib. XX.*). *Hac autem lege convenerunt, ut non possent successorem his Regnis declarare, nisi sex saltem in electum vota concurrerent.*

(d) *Non omnes equidem Judices, ut Paternonius narrat, Ferdinandum Castellæ infantem calculo suo Regem elegerunt, sed sex tantum; videlicet Dominicus Ram, Vincentius, et Bonifacius Ferrer fratres, Bernardus de Gualbes, Berengarius de Bardaxi, et Franciscus de Aranda; Archiepiscopus vero Tarraconensis, tametsi Ferdinandum aptissimum ad gubernium esse fassus sit, nihilominus declaravit sese attentis concurrentium juribus, reputare Gandiæ Ducem, et Comitem de Urgel proximiores Aragoniæ stirpi esse, cum recta ab ipsa orirentur, cumque jura utriusque paria essent, eum alteri esse præferendum, qui magis idoneus, et utilis regendis populis æstimaretur. Qui præterea etiam professus est, se hoc judicio nullum velle inferre damnum Friderico Aragoniæ Comiti Lunensi, cujus in Siciliam jura recte noverat. Hujus opinioni adhæsit Guillelmus Valesca, quamvis subjunxerit, Comitem de Urgel præ Gandiæ Duce utiliorem Regnis futurum. Nonus tandem, nempe Petrus Beltrandus, cum sex jam convenissent, a ferendo judicio abstinuit.* (Surita Annales de Aragon. lib. XI. cap. LXXXVII.) *Vincentius vero Ferrerius recte declaravit omnium calculis Ferdinandum Castellæ Infantem fuisse electum, quod reliqui tres, ne electi jam Regis odium sibi compararent, electioni jam factæ adhæserint.*

(e) *Dum hæc in Aragonia agebantur, intestina bella Siciliam dilacera-*

æde S. Salvatoris Cæsaraugustæ coronatus est. Quamvis Siciliæ Regem dici non est passus, quoad intestinæ in ea discordiæ sedarentur (*f*); de Rege enim quis esset futurus erat quæstio, quod defuncta sine liberis Maria Siciliæ Regina, Regnum ad Martinum ejus virum jure pervenire non poterat, ac multo minus ad Martinum Seniorem (*g*), eoque illum Regem esse debere, quem sibi dixissent Si-

---

cerabant. Caprera eo insaniæ devenerat, ut ausus sit ad Blancæ Reginæ nuptias aspirare, atque conari, ut conjunctis viribus cum ea Regnum occuparet, et ab ea increpitus, et cum indignatione rejectus, omne studium in eo posuit, ut nobilem hanc Reginam in servitutem redigeret, quæ fortuna ob ejus manibus elapsa est. Sed deinde, dum bellum cum Regina, ejusque assecl is ageret, captus est, et a Sancio Ruitz de Lihori in Mottæ S. Anastasiæ castro inclusus, cum fugam per fenestram tentaret, casse irretitus omnium ludibrio expositus fuit.

(f) *Id dicere minime audemus, cum monumentis careamus. Quod scimus, illud est, Ferdinandum statim ac Aragonio Regno potitus est, Regni Siciliæ dominium a Benedicto XIII. Antipapa recepisse,* (*Surita* ande Aragon. *lib. XII. cap. VIII.*) *deinde viros doctrina, et prudentia celebres in Siciliam misisse, quibus præscripsit, ut per Civitates, et oppida Regni circumirent, et quæ gesta per arbitros in oppido Gapsæ sunt, nota cunctis facerent, se se propterea in Regnis Martini successisse, et in Siculo etiam, nam Litteratorum judicio, quibus ipsemet successionem in hoc regno examinandam commiserat, illud ad se pertinere decretum fuerat. Eam ob rem ipsis in mandatis dedisse, ut turbatas Siciliæ res componerent suo nomine, legum Sicularum, constitutionum, privilegiorum observantiam jurarent, et adunatis Prælatis, et populis fidelitatis obsequium reciperent, Reginæque Blancæ, quam Vicariam confirmabat, una cum Concilio Siculorum, et Catalauniorum, cujus forma ab eo præscripta erat, adsisterent in Regni gubernio (Surita loc. cit. lib. XII. cap. III. T. III.). Qua ratione memorati Ferdinandi Legati imposito sibi oneri satisfecerint, quod longum esset enarrare, apud Suritam, et nostrates historicos fuse refertur.*

(g) *Si nitida sunt jura, quæ Petrus IV. Aragoniæ Rex, ut superius innuimus litt. c. cum de Maria Regina ageremus, in Siciliæ Regnum sibi vindicabat, sique Sicilia velut Aragoniæ Provincia reputanda erat, non est dubium ad Martinum Seniorem, defuncta Maria, Siciliam pertinuisse, quidquid contra sentiat Paternonius, majusque in hoc jus, quam*

Siculi. Sed et Bernardus Caprera, qui, quod Insulæ esset Prætor, quem Justitiarium vocant, summatibus universis auctoritate præstaret, Blancæ Regni Vicariæ connubium affectabat, quod si ex votis cederet, jure sibi deberi Regnum contendebat, quod Blanca Mariæ, ut propinquior, succedere deberet (*h*); (asserebat enim Mariam fuisse Philippi Navarræ Regis proneptem ex filia nominis ejusdem, quæ prima fuit uxor Petri Regis, ex quo Constantia ejus mater fuerat progenita). Verum Bernardo superato, Siciliæ quoque Rex Ferdinandus lubens dici voluit, quod antea noluisse haud in postrema quidem ejus magnanimitatis parte posuerim (*i*); nam quæ nec possidemus

S

quam in filio Martino fuisse, cum uxorium jus mortua conjuge cesset. Quod si mavis, in Siculorum potestate fuisse, eum, quem vellent sibi Regem eligere, cum hi, obeunte Maria, Martinum virum ejus ut Regem recognoverint, deinde hoc fatis cedente, Patrem ejus tamquam Principem proprium acceptaverint, hac etiam ratione merito hic Siciliæ Regnum fuerat consecutus.

(h) *Suspicamur, voluisse aliquos hoc colore Bernardum Caprera Motucæ Comitem a rebellionis crimine excusare, sed si vera fari velimus, is nuspiam Blancam velut legitimam hujus regni heredem respexit, sed velut hostem persecutus est, quod Vicariam potestatem duobus Martinis jam mortuis in suæ Præturæ contemptum adhuc sustineret. Quod si quando ejus nuptias concupivit, eique spopondit, si vellet in virum accipere, regnum ipsi traditurum, non id præstitit, quod putaverit jus aliquod Blancam in Siciliam habere: sed eo devenit, quod ejus amore (erat enim pulcherrima) luxuriosus senex captus esset, atque speraret hoc connubio universam Insulam in suas manus perventuram, a qua difficile erat eum exturbare. Ceterum si quod jus in successione habuisset Blanca, nec Carolus III. Navarræ Rex Blancæ Pater Barcinonem venisset, ejus a Sicilia recessum summis studiis postulans, nec Siculi, qui eam amabant, cupiebantque ut in Sicilia remaneret, Sponsum ex Aragonia stirpe, Nicolaum nempe de Peralta, eidem virum quæsiissent, rati ita Catalaunios Ferdinandum, Siculos vero Peraltium habituros Regem; (Surita lib. XI. cap. XVIII.) quicumque enim libere poterat a Blanca in virum assumi, si vera erat regni heres, ut Regnum Siculum a Regno Aragonum divisum permaneret.*

(i) *Grande quidem magnanimitatis exemplum potius crediderim, quod Bernardum Caprera perfidiæ reum, ut ex caussæ cognitione, actisque*

mus (*k*) non belle, nec generose nobis titulo tenus vendicamus. Is quamvis omnium consensu sibi Castellæ Regnum vendicare posset, sublato tamen in humerum Joanne Anniculo Henrici defuncti fratris filio, ad Cœtum conversus universum, eccum, ait, Regem vestrum, pluris pietatem, officiumque justitiæ, quam Regnum faciens (*l*). Quod propter et Justi cognomentum est assecutus.

Cumque justitia, et liberalitate annos quatuor, ac menses novem Aragoniæ, et Siciliæ Regna moderaretur (*m*), anno salutis MCCCCXVI.

(5)

---

que collectis constabat, precibus Comitis de Pallas, aliorumque Catalauniæ nobilium virorum flexus, atque eximias hujus Comitis actiones, quibus Siciliam, et Sardiniam Martinis conservaverat, præ oculis habens, libertati sub certis conditionibus restituerit; non quod se regem Siciliæ dici noluerit, quod nobis incertum esse superius admonuimus, immo ex Surita falsum ostendimus.

(k) *Siciliam a Ferdinando minime possessam dicere nulla ratione valemus, quæ enim sub potestate Blancæ erant Regi Aragonum obtemperabant, ipseque Bernardus Caprera, quamvis in animo regni invasionem moliretur, in speciem nihilominus tamquam Aragoniæ addictus ejus regis insignia in exercitu ducebat. Scio Joannem XXIII. Insulæ nostræ dominium Ladislao Neapolis Regi concessisse, sed soli Messanenses pro Ladislao stabant, qui nova dissidia hunc inter Regem Pontificemque nata jam esse pernoscentes, relicto Ladislao Ferdinandum Aragonium velut regem recognoverunt.*

(l) *Non modo Regnum respuit, quod primores, stante nepotis infantili ætate, qui vix annum unum, decemque menses compleverat, ei obtulerunt, sed tutorem ejus agens Castellam eidem conservavit, auxitque etiam* Antequeræ *urbis accessione, quæ ad Granatense Regnum a Mauris possessum pertinebat.*

(m) *Graviter ferebant Siculi proprio carere rege; quamobrem ab ipsis Regni Ferdinandi incunabulis Ubertum de Marinis Archiepiscopum Panormitanum, Philippum Ferrerium Pactensem Episcopum, atque Joannem de Moncada oratores ad hunc Regem miserunt, qui rogarent, ut Fridericum Aragonium Lunensem Comitem, et Martini Junioris filium eis regem concederet, eam causam adducentes, quare id expostularent, quod Sicilia proprio destituta rege facile poterat in manus Ladislai Neapolis regis, qui adeo proximus erat, et Joannis XXIII. a quo dominium eam in Insulam obtinuerat, auxiliis non carebat, pervenire. Quod si*

pro

(3), ætatis vero suæ XLIII. undecima Aprilis (n) die Equalatæ Aragoniæ oppido spiritum exhalavit. Superstitibus filiis Alphonso primogenito Rege designato, Joanne (qui Navarræ Regno potitus est, ac deinde fratri prædicto successit) Henrico, qui S. Jacobi, Sanctio, qui Calatravæ Magistri fuere, et Petro, nec non duabus femellis, Maria scilicet, et Eleonora, quarum illa Regina fuit Ca-

 stel-

---

pro Friderico id consequi non possent, peterent saltem, ut Ferdinandus, quem vellet ex propriis filiis eligeret, regemque Siciliæ crearet. Cupiebat sane munificus hic Aragoniæ Princeps Siculorum desideriis obsecundare, sed durum erat ad hæc vota animos trahere Catalauniorum, quorum cordi insederat, Siciliam ad Aragonense Regnum pertinere, nec posse ab eo separari. Quapropter ne Legatos Siculos spe frustratos, et mœstos dimitteret, spopondit se quam citissime Joannem secundo loco sibi natum, qui eosdem suo nomine gubernaret, destinaturum. Promissis Clementissimus Rex stetit, atque Joannem cum Regio apparatu in Siciliam anno 1515. *misit, summo tunc effusi sunt gaudio Sicilienses, et quod a regis filio regerentur, et quod juvenem adeo virtutibus præclarum (quod inferius dicetur) pro Gubernatore nacti essent, tantoque amore eundem prosecuti sunt, ut statim ac Panormum venit, Messanenses ad eum nuntios miserint, rogantes ut Messanam pergeret, quo ipsum visendi desiderio faceret satis, et inter cetera declaraverint, quando sic ei libuerit, se non ut Vicarium, et gubernatorem, sed ut Regem Siciliæ habituros. Cedro minioque dignum recepere responsum, nam postquam gratias ob hoc desiderium eisdem rependisset, rogavit, ne amplius verbum ea de re proferrent, se se enim professus est, satis sibi honoris comparare, si patris vices ageret, Siculosque magno Dei beneficio adscribere debere, quod regem obtinuerint tot virtutibus ornatum, justum, benignum, potentem, qualis suus genitor Ferdinandus erat, cujus sub imperio nonnisi felicitatem eorum natio poterat exspectare.* (Capitula Regni Siciliæ *T. I. in Ferdinando* I. *pag.* 199.)

(n) *Fallitur Paternonius diem mortis, annosque quibus Ferdinandus vixit indicans, nam teste Surita* (Annales de Aragon. *lib.* XII. *cap.* IX.) *cujus testimonium auctori huic præferendum est, obiit secunda Aprilis die*... Fallecio un Ivenes a dos del mes de Abril: *quod Chronologiæ respondet, nam dies Jovis anno* 1416. *fuit secunda Aprilis, anni vero ejus vitæ non quadraginta tres, sed triginta septem fuerunt, nam prosequitur idem historicus*: De edad de treinta y siete annos.

stellæ, hæc Portugalliæ. Suscepit liberos hos omnes Ferdinandus ex Urreca, quam alii Blancam, et Eleonoram vocant, Alburqueques Comitissa.

Fuit autem Ferdinandus naturæ sublimis (4), sed a fastu remotus, animo intrepidus, sed erga justitiam reverenti: in contumaces, et sontes severus, erga misericordia dignos clemens: bellicæ gloriæ studiosus, sed pacis amantior, liberalis erga benemeritos, facilis affatu, admitti jubebat infimos, ab obscœnis non modo factis, sed verbis abhorrens, Veneris temperantissimus, epulabatur non ad gulam, sed ad Regium splendorem, et decus. Vetabat suos domi scortari. Quoad literas ut non indoctus, ita peritorum munificus fautor; nulli domesticorum stipendium numerari voluit, nisi quem Confessionis, et Eucharistiæ Sacramento eo anno cibatum esse Sacerdotis testimonio constitisset; blasphæmos, et aleatores ut pestem oderat. Pro absentibus diligentior, quam pro præsentibus. Petenti beneficia non indulsit statim, sed duo hæc prius animadvertebat: an alteri indultum esset, et an alius dignior. Nihil venale contulit, auxitque pecunia, quam a Castella advexerat, Aragoniam, Valentiam, Catalauniam, ideoque ægre ferebat non posse adeo munificum se cunctis exhibere in tanta proventuum exiguitate, quos vel invitus exigebat a subditis; dicere solitus, eum Regem non agere, qui non plus quam posceretur, donaret. Statura fuit supra justam, aspectu gravis, ac suavis, colore candido, satis plenis, teretibus, ac robustis membris.

AD-

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Hi erant Jacobus Comes Urgellensis Joanne ipsius Martini Patruo furtivo obortu satus (a), Ludovicus puer, Ludovici Francorum Regis filius ex Violanta Martini nepte, et Joanne fratre, ac Fridericus Martini junioris ex pellice gnatus. Item Ferdinandus Joannis Castellæ Regis secundogenitus; Matthæus præterea Fuxanæ Comes, et Alphonsus Gandiæ Dux, et Rebargorciæ Comes. Vide Petrum Ancaranum Consilio 338. Nomina vero Judicum compromissariorum habes apud Fazellum lib. 9. poster. dec. cap. 2. et alios (b).

2. Quo clarius intelligatur, quibus rationibus adducti Judices pro Ferdinando sententiam tulerint, quodque jus ille habuerit ad Regnum, sciendum Violantam, seu Eleonoram, ut alii vocant, Ferdinandi matrem Petri IV. Aragonum Regis fuisse filiam, nec non sororem etiam (ex matre tamen; tres enim ille uxores duxerat Mariam Philippi III. Navarræ Regis filiam, Eleonoram Regis Lusitaniæ, et tertiam Eleonoram Siciliæ) Joannis primi, et Martini senioris, qui tres gradatim Aragoniæ fuere Reges. Petrus autem Al-

(a) *Jacobus Urgellensis Comes successioni in Aragonio Regno jus habere certum contendebat, non quod a Martini patruo descenderet, sed quod vir esset Elisabet de Aragonia, quæ Petri IV. neptis fuerat, et mortui Martini; filia enim erat Eleonoræ Petri IV. filiæ, et Martini sororis. Vere omnium judicio hac nemo proximior reputabatur Martino, qui, dum viveret, ejus virum Comitem Urgellensem Gubernatorem generalem elegit, quæ dignitas vel propriis filiis, vel proximioribus sanguine conjunctis conferri ab Aragoniis regibus consuevit. Nec alia ratione a diademate fuit exclusus, nisi quod successionem maribus, non feminis deberi major judicum pars opinata sit. Ceterum apud quempiam Scriptorum Hispanorum, quos consuluimus, non legimus Urgellensem Comitem furtivo obortu satum a Martini Patruo, quod etiamsi concedamus, cum hæc macula spuriæ nativitatis eidem non fuerit objecta, fit palam, eumdem non proprio, sed uxorio nomine hereditatem Martini petiisse. V. Suritam in* Annalibus Aragonensibus *lib. XI. cap. LXXXI. et LXXXII.*

(b) *Relata superius a nobis fuere.*

Alphonsi, quem Benignum appellarunt, fuit filius, Alphonsus autem patrem habuit Jacobum, quem Carolo Francorum Regi Siciliæ Regnum renunciasse diximus, et ob id in ejus locum Fridericum ejus fratrem Siculos sibi suffecisse. Eleonoræ autem vir Joannes fuit hujus nominis primus Castellæ Rex, qui duos ex ea suscepit filios, Henricum III. Castellæ Regem, qui Mariam genuit, alterum vero Ferdinandum, hunc de quo loquimur, ex quo Alphonsus, qui Mariam consobrinam suam duxit uxorem. Igitur si recte perpendamus, fuerat Ferdinandus Martini senioris ex Eleonora, seu Violanta sorore nepos, sicut etiam Joannis primi (c), ob cujus mortem Martinus Aragonum Rex fuit.

3. Quo tempore laborabat Ecclesia schismate Decimoctavo, et celebrato Constantiæ Concilio depositus est Joannes XXIII., renunciavit Gregorius XII. Benedicto XIII. adhuc mordicus renitente (d), quamvis fuerit paulo post et ipse depositus, et electus Martinus V. Romanus, agente maxime Sigismundo Imperatore cum annis XL. Christianus orbis fuisset hoc schismate vexatus (e). Hoc ipso anno nascitur S. Franciscus Paulensis.

4. Ex Maurolyco lib. 5.

DE

(c) *Hæc fusius apud Suritam* Annalium *lib. IX.*

(d) *Aragoniæ Reges, durante trium Pontificum schismate, Petro de Luna sive Benedicto XIII. adhæserant, ut de Martinis constat. Ferdinandus in eadem obedientia perstitit, quem secutus deinde est Alphonsus ejus filius, qui mortuo etiam hoc Antipapa Clementem VIII. dictum, sive Gilles de Mugnos adversus Martinum V. legitimum Pontificem substinuit, quo tandem pontificalibus infulis (hortante ipso Alphonso) renunciante, anno 1429. pax Ecclesiæ reddita est, unusque agnitus ab omnibus catholicis Pontifex, scilicet Martinus.*

(e) *Schismatis tempus, quo Catholica afflicta est Ecclesia, valde longius fuit, quam Paternonius supputat, ducenda enim sunt ejus initia ab anno 1378. quando Urbano VI. oppositus a quindecim Cardinalibus Fundis in Latio congregatis Clemens VII. est, nec finis ei adsignandus, nisi cum Clemens VIII. loco cessit, et Martinum V. ut Ecclesiæ caput recognovit. Perduravit itaque schisma annos quinquaginta unum. Ne vero tam gravem chronologicum errorem Paternonio tribuamus, dicendum potius Abbatem Vitum de Amico, a quo in meo MSS. ejus exemplar exscriptum est, quod non raro accidit, alio distractum falsum esse, atque loco LI. scripsisse XI.*

DE ALPHONSO I.

SICILIÆ REGE, ET ARAGONIÆ V.

COGNOMENTO MAGNANIMO.

Alphonsus (1) ergo Ferdinando patre vita functo, Aragonia, Siciliæ; cæterorumque Regnorum ejus imperium, atque dominationem jure est assecutus (a), cui ob ingenii, animique præclaras dotes Magnanimi cognomentum fuit. Hic a Joanna II. Neapolis Regina Ladislai sorore in filium adoptatus (b) anno a Christo nato MCCCCXXI. ubi Neapolitanum Regnum post multos militares congressus cum Ludovico (2) hujus nominis III. Andegavensium Duce, a quo

---

(a) *Cum durante Ferdinandi Patris imperio Joannes Siciliam regens, omnium ad se traxerit amorem, Alphonsus ægre ferens, fratrem Siculorum delicium esse, timensque, ne genitore defuncto hi eumdem in Regem sibi eligerent, sciens, quantopere cuperent, et conati sint proprium habere Principem, nisibus omnibus apud patrem egit, ut eum revocaret, hortatusque Joannem est, infirmam Ferdinandi salutem obtendens, ut eum visendum in Hispaniam rediret. Sed statim ac fatis pater cessit, prima ejus sollicitudo fuit, ad fratrem Antonium de Cardona mittere mortis secutæ nuntium, eique suadere, ut recepto a Siculis juramento fidelitatis, regni habenas in manibus Dominici Ram Oscensis Episcopi, ipsiusque Antonii de Cardona relinqueret, et in Hispaniam regrederetur. Ne vero molestiam Joanni crearet, illum allicere conatus est spe contrahendi cum Blanca Navarræ Regina matrimonium. Sunt qui narrant Joannem, dum adhuc Ferdinandus viveret, Siciliam reliquisse, et in Hispaniam remeasse: sed falluntur.*

(b) *Sardiniam, sive ut aliis placet, Corsicam ad debitam sibi obedientiam revocabat Alphonsus, cum ad eum venit Antonius Caraffa Reginæ Joannæ legatus, rogaturus, ut vexatæ Principi, urbique Neapolis suppetias alve eum Franciscum Attendulum, Sfortiam dictum, qui Ludovici Andegavensis partes substinebat, statim ferret, promittens Joannam, exheredato jam Ludovico, eumdem in filium adoptaturam, ut deinde factum est.*

a quo Regina vexabatur, pacavit (c), immutato paulo post fœminæ instabilis animo (d) rursus contra Renatum Ludovici fratrem (quem illa ad Alphonsum pellendum evocaverat) arma capessens, Neapolim bel-

(c) *Classis Regia Regis Alphonsi jussu iter primo in Siciliam fecit, tum ut arma ceteraque ad bellum necessaria pararet, tum etiam, ut rei frumentariæ, cujus caritate Neapolitana Civitas vexabatur, provideret, tum tandem, ut Martinum de Turribus, qui Viceregis munere cum Antonio de Cardona in hac Insula fungebatur, atque Joannem Ansalonem Magnæ Regiæ Curiæ Judicem susciperet, qui una simul cum Raymundo Pereglia, qui Triremium præfectus erat, legati ad Joannam mittebantur. Rex interim in Sardinia mansit, vel in Corsica, exspectans, cum Regina Neapolis promissa adimpleret, audiensque sed ab ea in filium fuisse adoptatum, atque a Raymundo Pereglios, Legatoram primo, urbis Neapolis, atque Castrorum præcipuorum fuisse captam possessionem, omnesque Neapolitanos ordines in ejus manus fidelitatem jurasse, portu provectus, Panormum venit die duodecima Februarii anni 1421., paucisque diebus ibidem moratus Messanam petiit, ut propior esset Neapolitano Regno.*

(d) *Fertur Joannem Caracciolum Reginæ Structoerm*, sive Senescallum, *tantam apud eam gratiam obtinuisse, ut nihil sine ejus voluntate fieret. Hic cum in Ænariam insulam a Regina Alphonsum salutaturus venisset, atque Regis venustatem agnovisset, cœpit statim ζηλοτυπίᾳ angi, timuitque, ne si ad Joannæ conspectum veniret, hæc quæ non admodum casta erat, ejus amore caperetur, seque rejecto, omnem confidentiam in Alphonso collocaret. Eamobrem, postquam Rex Neapolim ingressus est, dolo consuluit, necesse esse Regem cum manu militum Acerras pergere, quæ urbs a Regina defecerat, atque Andegavensia insignia erexerat: quod factum est. Sic Alphonsum e Reginæ lateribus primo distrahens, tantum deinde, postquam rediit, apud eam egit, ostendens ne nimium Regi Aragonum fideret, qui Neapolitanorum animos jam devinxerat, et prope erat, ut ea exclusa regno potiretur, ut fœminam retibus hisce captam facti pœnitentem reddiderit, moveritque ad insidias Alphonso parandas. Harum Rex certior factus, et eatum auctorem intelligens esse Caracciolum, hunc jussit carceri mancipari, de qua re dolens Joanna in Capuanum Castrum fugit, et Franciscum Sfortiam Attendulum, ut eam liberaret, rogavit. Hic Neapolim advolavit, et eum Catalaunis pugnans, completam de his victoriam obtinuit, atque urbe*

bello appetens (c) Urbem tandem, immissis (3) per aquæductum Militibus Anelli Fabri Cæmentarii opera (Ferdinando ex nobili pelli-

---

urbe potitus est. Immutata sic Alphonsi fortuna, is in Castro novo se abdidit, et ex victore victus periclitabatur catenis cingi, nisi eum subduxissent strenui Catalauni, qui Cajetam cum classe venientes, Regis discrimine audito, nulla interposita mora celeriter Neapolim appulerunt, victisque fugatisque Sfortianis, Neapolim ingressi, igne, ferroque vastarunt, Joannamque pavidam coegerunt, ut Nolam se cum Francisco Sfortia reciperet. Statutis induciis de captivorum permutatione inter Joannam, et Alphonsum actum est, restitutisque hinc inde vinctis, Caracciolus libertati restitutus est, qui tandem Reginæ suasit, ut exheredato Alphonso, Renatum Ludovici fratrem in filium adoptaret. Hæc acta sunt anno 1423. *quo Alphonsus relicta Neapoli in Aragoniam navigavit, ut Henricum fratrem a laqueis, quibus Castellæ detentus erat, liberaret. Custodiæ Neapolitanorum Castrorum relictus fuit Petrus, alter Alphonsi germanus.*

(c) *Ab anno* 1423., *quo Alphonsus Neapoli digressus erat, ad annum* 1435. *pleraque acta sunt, ut Joanna cum eo paciscerretur, tunc præcipue cum Joannes Caracciolus hujus amasius ea jubente, aut permittente jugulatus est, sed irrito conatu. Verum mortua Joanna, quæ Renatum Andegavensem sibi heredem constituerat, iterum Alphonsus Regni Neapolitani acquisitionem tentavit, atque Cajetam primo aggressus est. Cum vero huic Civitati classis Genuensis appropinquaret, ut eamdem ab obsidione liberaret, volens Rex subsidia isthæc obsessis subducere, præparatis navibus, et triremibus Genuensibus occurrit, et navali bello indicto, quamvis strenuissime pugnaverit, in inimicorum manus infeliciter cecidit, atque Mediolanum ductus, Philippo Vicecomiti ejus urbis domino, una cum fratribus, Joanne Castellæ Rege, et Henrico, aliisque utriusque Siciliæ regnorum primoribus viris, ut custodiæ manciparetur traditus est. Tantam vero apud hunc Principem nactus est gratiam, ut ex inimico amicum sibi reddiderit, nec tantum liber evaserit cum suis, sed fœdus cum eo ad Regnum Neapolitanum adquirendum inierit, et quod admirandum est, ab eo obtinuerit, ut Genuenses licet inviti, sibi Neapolim pergenti in hoc bello cum classe auxilium præstarent. Multa in hoc bello gesta sunt, strenuo viro Joanne de Vigintimillis præcipue agente, quousque Anelli consilio Rex urbe Neapolitana, totoque Regno potitus est.*

ce prognato, egregia indole, puero octo annos nato (*f*), qui ei postea in Neapolitano Regno successit, præfecto) anno salutis MCCCCXLII. Julii die VI. cum toto Regno simul potitus est. Sed et ipse cum Cajetam una cum Joanne Navarræ Rege, qui illi postea successit, Henricoque fratribus obsidet, inito navali prælio a Genuensibus anno MCCCCXXXV. Augusti die v. captus, et ad Philippum Mediolanensium Ducem, qui cum illis simul Alphonsum profligarat, ductus, amice ab eo habitus, et liberaliter, ac honorifice una cum fratribus dimissus est. Quique paulo post anno XXXVI. supra MCCCC. idem Philippus, moriens Augusti mensis die XIII. heredem sibi in Mediolanensi Ducatu testamento instituit; frustra tamen, quod Franciscus Sfortia Philippi ex filia spuria gener, insequenti anno armis Mediolanenses, qui ad libertatem post Philippi obitum aspirabant, sibi subegerit, Duxque Mediolanensis, nequidquam Alphonso contranitente, est appellatus.

Ceterum e Sicilia parata classe (*g*) in Africam ubi trajecisset, Gerbarum insulam, Mauris profligatis, suæ ditioni subegit (*h*). Duxit

---

(f) *Alphonsus urbem Neapolis aggressurus exercitum bifariam divisit, partemque ad paludes in orientali plaga collocari jussit, partem vero ipsemet ad collem duxit, quem* Pizzofalcone *nominant, quique maritimæ arci imminebat, ibique castrametatus fuit. In copiis ad Paludes sitis fuisse Ferdinandum nothum Regis filium apud Neapolitanos Historicos reperimus (vide Jannonem in* Hist. Civ. *lib. XXV. cap. 7.) sed præfectum exercitui a Patre fuisse apud neminem legimus, nec verisimile est, octenni puero copiarum præfecturam fuisse concreditam, nisi velis titulum tantum honoris, non belli gerendi administrationem Ferdinandum a Patre obtinuisse.*

(g) *Hæc classis præparatio, ut Gerbarum Insula occuparetur, Neapolitani Regni adeptionem decennio antecessit, facta enim est anno* 1432.

(h) *Fallitur Paternonius, cum scribit, hanc insulam Alphonsi dominio fuisse subjectam. Quamvis enim eo in statu res esset, ut facile Rex potuerit hac insula potiri, deceptus nihilominus Boferii Thunissæ Regis fraudibus, qui subdole pacem deprecabatur, inducias, ut pacis conditiones statuerentur, concessit, quo tempore infidus Maurus subsidia in insulam clanculum introduxit, eique prorsus difficilem reddidit ejus acquisitionem, cumque deinde novas semper paci difficultates opponeret, irrita fecit Alphonsi vota, quem annonæ defectu coegit, ut re infecta in Siciliam rediret*

xit autem uxorem Mariam (*i*) Henrici III. Castellæ Regis patrui sui filiam, ex qua prolem nullam habuit. Verum ex pellicibus Ferdinandum, Mariam, et Eleonoram, illam Ferrariæ Marchioni, Suessanæ Ducis filio hanc matrimonio collocavit (4).

Obiit Neapoli in Arce nova (*k*) Pio II. Senensi Pont. Max. ætatis suæ LXV. (*l*) salutis vero nostræ anno LVIII. supra MCCCC. mense Julio, seu Majo (*m*), ut placet aliis. Neapolitano (5) Ferdinando filio utpote sua fortuna, ac labore parto, Aragonio autem ac Siculo Regnis, Joanni fratri, qui Navarræ tunc pro Blanca uxore Regem agebat, relictis.

diret (V. Bartholomeum Fatium Rerum suo tempore gestarum lib. IV.)

(i) *Hæc ob immodicam zelotypiam exosa Alphonso exstitit, quam Barcinone reliquit, nec amplius, postquam ab Hispania egressus est, vidit, quæ causa forte fuit, cur scorta amaverit.*

(k) *Ex Arce nova, ubi febre correptus fuerat, ut salubriorem aerem spiraret, ad Castrum Ovi, ut nuncupant, transiit Alphonsus, ibique obiit.*

(l) *Sexaginta quatuor annos nondum compleverat, cum fatis cessit.*

(m) *Nec Julio, nec mense Majo mortuus est, sed Junio, dieque ejus vicesimo septimo, vel octavo (Art. de verifier les dates Chron. Hist. de Rois d'Espagne, et Chron. Hist. de Rois de Naples in Al*fonso I.)

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Hic omnium primus Regem se utriusque Siciliæ appellari voluit (a), quo cognomento ad ætatem usque meam, qui subsecuti sunt Reges, utuntur, cum antea Rogerius II. (ut in eo dictum est, et quem imitatus est Martinus I.) Neapolitanum Regnum Siciliam *citra*, Insulam vero, *ultra* Pharum appellavit.

2. Ludovicus iste Regni Neapolitani investituram, ut vocant, a Martino V. Pont. Max. anno 1421. habuerat, quam deinde anno 1428. Pontifex revocavit, eamque Alphonso concessit; et Eugenius IV. anno 1441. confirmavit. Ita scribit Gonsalvus Illescas in Martino V. (b).

3. Vide Jovium lib. I. Ceterum hoc etiam modo, anno ab eo tempore 925. Belisarius Justiniani Imperatoris Dux, cum Gothi Italiam occupassent, eadem potitus fuerat Urbe.

4. Hujus Alphonsi tempore, anno nempe 1453. 29. Maji Nicolao V. Summo Pontifice Constantinopolis ab Ottomano II. Turcarum Principe capitur (c) annis scilicet 191. supra mille, a quo tempore Constantinus S. Helenæ filius eamdem Imperialem ibi Sedem con-

---

(a) *Cœpit Alphonsus jam tum phrasim hanc usurpare, cum a Regina Joanna Neapolis in filium fuit adoptatus, quod accidit anno* 1421. *Quamobrem castigandus est doctissimus alioqui rerum Sicularum vestigator Michael del Giudice, Casinensis Abbas in dissert. italice scripta de titulo Regis Hierosolymitani Siciliæ dominis hereditario jure debito* (Opusc. di Autori Sic. *T. II. pag.* 355.), *qui asserit adoptionem hanc anno* 1417. *fuisse factam*.

(b) *Romanos Pontifices consuevisse Siciliæ, quam vocabant* citra Pharum, *dominium, sive ut ajunt* investituram *Regibus concedere, qui Neapolim, ejusque Provincias Apuliæ, et Calabriæ possidebant, comperta res est. Modo eam Principes non quærunt, et oblatam respuunt, cum noverint, nec in Neapolitanum Regnum jus aliquod Romanam habere Ecclesiam*.

(c) *Non Ottomanus, sed Mahomedes II. Constantinopoli potitus est*.

constituerat (*d*), et quod mysterio non vacat, imperante tunc etiam altero Constantino alterius quoque Helenæ filio.

5. Quamvis autem ægre hoc ferret Callixtus III. Pont. Max. quod, cum spurius esset Ferdinandus, jure heres esse non posset, ob idque Neapolis Regnum Ecclesiæ revolveretur (*e*), Pius tamen II. qui Callixto successit, libere illud eidem Ferdinando concessit. Illescas in Callixto, et Pio Pontificibus. Notandum vero duplici ratione potuisse Alphonsum id Regnum Ferdinando legare; primo quod cum ipse Alphonsus Regnum sit prior assecutus, integrum illi erat secundum jura, cuicumque voluisset donare. II. Quod ab Eugenio IV. fuerat Ferdinandus ea, qua aspersus erat, labe, quod nempe erat spu-

(d) *In hac annorum computatione fallitur auctor, cum enim certum sit Constantinum Magnum Imperialem sedem Roma Bizantium transtulisse anno 1329., urbisque ibi ædificatæ sequenti anno 1330. dedicationis festum celebrasse, vel numerandi erant anni 1124. ab ejus ædificatione ad annum quo a Mahomede II. capta Constantinopolis est, vel 1123. si mavis a dedicationis anno initium sumere.*

(e) *Plures Ferdinandus, mortuo Alphonso, expertus est hostes, qui Regnum Neapolitanum sibi vindicabant, et I. Joannes Alphonsi frater, qui in Aragoniæ Regni succedebat, cujus jura Carolus Viani Princeps apud Neapolitanos Dynastas ostentabat, cum ad mortem patrui Neapoli præsens esset. Secundo Joannes Andegavensis Renati, quem Joanna adoptaverat, filius, qui Florentiæ morabatur, quemque nonnulli Primores Neapolitani Angioinæ factionis exoptabant, et ad avitum regnum occupandum invitaverant. Et tertio Callixtus III. qui adeo tenax propositi fuit, ut bellum Ferdinando paraverit, atque Comitem Jacobum Piccininum cum suis advocaverit, ut quæsita jura Romanæ Ecclesiæ sustineret, et Urbinati Duci præceperit, ut rupto fœdere cum Ferdinando, auxiliares copias ad augendum Pontificium exercitum adduceret. Facile se ab his hostibus liberavit; Carolus enim Vianensis Princeps, sive quod Patrem non amaret, sive quod seductus donis Ferdinandi fuerit, qui censum annuum duodecim millium ducatorum eidem adsignavit, post paucos dies Neapolim reliquit, et in Siciliam venit; Jacobus, cum nec milites, nec pecuniam haberet, oblatum a nonnullis Regnum recusavit, Callixtus lenta febre ad sepulcrum ductus est.*

spurius, auctoritate Pontificia purgatus (f), ut Collenutius refert lib. 6. Hist. Napol.

DE

(f) *Postrema hæc ratio, qua Collenutius, et post eum Paternonius jus Ferdinandi in Neapolitanum Regnum asserunt, nimis probat, si enim hic Princeps, quod fuerit a macula illegitimæ nativitatis auctoritate Pontificia purgatus, jure optimo Regni ejusdem heres reputandus erat, cur non et Regnorum Siculi, et Aragoniæ? Anne Pontificia indulgentia spuriam stirpem sanare unice potest pro Regno Neapolitano, pro reliquis vero Regnis non potest? Non ne Fridericus Aragonius Lunæ Comes, et Martini I. filius nothus a Benedicto XIII. fuit rescripto Pontificio legitimus declaratus? Cur itaque in Aragoniæ Regno, vel in Siciliensi saltem non successit? Nulla certe circa successionem in Regnis rescriptorum ejusmodi Pontificiorum habita ratio est.*

DE JOANNE I.

SICILIÆ REGE, ET ARAGONUM II.

JOannes igitur, Alphonso fratre decedente, in Aragonia, et Sicilia Rex sufficitur. Is annum agens vigesimum (*a*) Blancam Caroli Navarræ Regis filiam unicam, cujus deinde causa Navarræ Rex est, dictus, uxorem ducit, ex qua Carolum (1), qui patre superstite Barcinone vita functus est, suscepit, et Eleonoram, quam Gastonio Foxino Comiti copulavit (*b*). Porro Blanca uxore mortua (2) Joannam Friderici Enriquez Castellæ Admirati filiam sibi adjunxit, ex qua Ferdinandum, Joannam Ferdinandi postea Neapolitanorum Regis uxorem, et Mariam (*c*) filias genuit. Siculos autem Joannes, quod vivente adhuc Ferdinando patre Siciliæ Prorex, atque Admiratus (*d*) præfuerit, plurimum dilexit. Princeps Christianæ

(a) *Verisimilius Pirrus Joannem anno ætatis XXIII. Blancæ nupsisse refert in Chron. Reg. Sic. pag.* 94.

(b) *Præter Eleonoram, quæ fuit deinde, mortuo Patre, Regina Navarræ, aliam genuit filiam, quæ Blanca dicta est, quamque duxit uxorem Henricus IV. Castellæ Rex. Sed ob viri impotentiam, (erat enim ob ingentem corporis molem connubio ineptus) a Nicolao V. solutum matrimonium est, et virgo in Patris domum rediit. (Pirri chron. Regum Sic. pag.* 95.)

(c) *Marinam, non Mariam Pirrus nominant; et præter hanc Eleonoram: hæ vero in infantili ætate mortuæ sunt (ibi pag.* 96.).

(d) *Magnum Admiratum Siciliæ fuisse, cum Paternonio adserunt quoque Vincentius Auria (Cron. de Vicerè di Sic. pag.* 4.) *et Carusius (Mem. Ist. P. III. lib. II. T. III. pag. m.* 25.), *immo Auria confidenter adserit consuevisse eumdem in diplomatibus ita se subscribere :* El Infante Almiral de Sicilia. *Sed quotquot nos manu versavimus tabulariorum nostrorum ad Joannem Viceregem pertinentia monumenta, non aliam subscriptionem ferunt, nisi hanc simplicem* El Infante. *Franciscus Testa (cap. Regni Sic. T.* 1. *pag.* 479.) *cum in nonnullis exemplaribus repererit additum,* Almiral de Sicilia, *suspicatur errorem in his irrepsisse, ibique legendum esse :* Nos el Infante al Almiral de Sicilia, *quod ratione non vacat, Sancius enim Ruitz de Lihori adhuc offi-*

næ religionis longe omnium studiosissimus, clementia quoque, ac liberalitate præstantissimus. At Veneris ad senium usque impatiens, unde et plures ex pellicibus habuit filios. Bellum Barcinonensibus, Ferdinando filio duce, quod a se desciverint, intulit, ac Ludovico XI. Francorum Regi, quam felicissime (3) senio tandem post multos labores prægravatus Joannes, anno ætatis LXXXIV. Regni vero XX. salutis MCCCCLXXIX. Calendis Februarii Xisto IV. Pont. Max. relicto Ferdinando filio, Siculo diademate ab anno MCCCCLXXIII. insignito, ceterorumque Regnorum heredem, Barcinone e rebus humanis excessit, sepultusque est in Monasterio Populensi. Fuit autem Joannes statura mediocris, aspectu pulcher, colore albo, capillo flavo, cibis parcus, liberalis, clemens.

AD-

officio magni Admirati Siciliæ fungebatur, quidquid Carusius contra adserat, quod maxime comprobatur ex monumento Regii officii Protonotarii, quod penes nos exstat. Est vero actus, quo primores Regni in manus Joannis sacramentum fidelitatis Alphonso novo Regi præstabant Catanæ die 23. Maji in Regio Castro, quo in instrumento primus omnium Sancius Ruitz de Lihori se subscribit: Ego Sanctius Roderici de Lihori miles, Vicecomes Galliani, et Admiratus Regni Siciliæ.

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Is, quod Novercæ pater, dum Neapolim ad suppetias fratri ferendas pergit, Navarræ Regnum commisisset gubernandum, patri indignatus, bellum intulit, sed tamen in eo superatus, ac captus diligenti custodiæ in Castro Mareino traditur (*a*), sed venia, datis obsidibus, ab eo facile impetrata, iterum castra contra patrem movit, in quibus rursum victus ad Alphonsum Neapolis, Siciliæque Regem, ac patris fratrem se contulit (*b*), quo vita paulo post functo in Siciliam se recepit, ubi summo in honore habitus, Siculorum tandem (*c*) opera patri reconciliatus, tertio a patre deficit, a

 quo

(a) *Hic Vianensis Princeps ægre ferens Novercam suo in solio sedere, quoad vixit cum patre pacem habere non potuit, expertusque Genitorem est durum, et inflexibilem. Ab hac quidem macula Joannes, ceteroqui humanissimus, abstergi nequit, quod Joannæ uxoris, quam deperibat, insidiis captus filium, qui a paterna virtute degener minime fuerat, persecutus fuerit, ejusque hæreditatem injuste retinuerit. Crimen est in patrem arma sumere, sed culpa non vocat, filium, qui matris morte legitimus erat Navarræ Rex, non solum titulo, et administratione propriæ hereditatis exspoliari, sed regni ipsius curam Novercæ ejus demandari, quæ supremam; crudelemque potestatem in ejus subditos imperiose exercuit, quando Joannes, ut fratri Alphonso suppetias ferret, ad bellum Neapolitanum perrexit. Quanta est in eorum animos, qui mulieres perdite amant, imbecillitas! quale imperium in eos non obtinent superbæ feminæ! Innumera historia affert exempla malorum ejusmodi, et apud politicos in comperto est, nullum persæpe bellum moveri, nullam iniri pacem, in qua fæmineus sexus præcipuas partes non habuerit.*

(b) *Alphonsus arbiter electus statuit, Carolum regimen Navarræ, quoad Pater viveret, non assumpturum; ne vero hic Princeps Novercæ insidiis subderetur, eum Neapolim advocavit, eique annuos duodecim mille centusses adsignavit, ut commode viveret.*

(c) *Siculi vere in conventu apud Castrum Joannis habito anno* 1458. *cujus petitiones deinde Caltahieroni* 10. *Decembris firmatæ sunt, ubi Carolo Vianensi Principi viginti quinque millia Florenorum exhibuerant;* non

quo in carcerem detrusus est, sed brevi Barcinonensibus tumultuantibus, qui illi favebant, libertate donatus, Catalauniæ quoque Rex certis conditionibus dici, appellarique a Joanne permissus est, ubi et ante patrem, ut dictum est, obiit (d).

2. Decessit Joanna Tarraconæ, dum Ferdinandus filius nuptiis in Castella cum Isabella conjuge dat operam.

3. Barcinonenses enim (e) cum Petrum Lusitaniæ infantem, quem Regem sibi constituerant, ac deinde Joannem Riccardi Massiliæ Principem, Siculorum, quos ad se evocaverat, auxilio superasset, tanta affectus est lætitia Joannes, ut visum, quem omiserat, repentino miraculo recuperaverit. Ludovicum vero ad fugam compulit.

DE

---

non solum petierunt Carolum recipi a patre in pristinam dilectionem, sed etiam ut in Sicilia velut ejus locum tenens remaneret. Quæ forte expostulatio in caussa fuit, quamobrem statim pater, sub spe veniæ, eumdem ad se revocaverit, timens ne nostri eum regem proclamarent.

(d) *Non sine veneni suspicione, cujus culpatur Joanna, quæ in Ferdinandum filium regna viri transire cupiebat.*

(e) *Hac in adnotatione syntaxis ob exscribentis oscitantiam non recte collocatam arbitramur, et legendum ducimus:* cum enim Barcinonenses cum Petro Lusitaniæ Infante quem etc. *aut*, et Petrum Lusitaniæ Infantem.

DE FERDINANDO

COGNOMENTO CATHOLICO

II. SICILIÆ REGE, CASTELLÆ V. ET ARAGONIÆ VI.

JOanni succedit (1) Ferdinandus filius, qui vivente patre (a) anno scilicet MCCCCLXIX. Henrico hujus nominis IV. Hispaniæ ulterioris Rege vita functo (2) Isabellam Henrici sororem, et Joannis II. Castellæ Regis filiam ad ejusdem Regni successionem omnium consensu vocatam duxit uxorem, quo factum est, ut Regno, quod jure olim Ferdinandus prior abnuerat, nepotique servaverat, ut supra dictum est, jure et nunc Ferdinandus alter illius nepos potiretur. Sed Regina sibi dominium vindicante post contentiones multas, in id tandem itum est, ut paribus auspiciis, titulisque regnarent, tamque Regis, quam Reginæ nomina in publicis edictis, insignia in vexillis, imaginesque in monetis cuderentur (b).

V 2 Mul-

(a) *Cum Isabella vellet nuptias cum Rege contrahere, Joannes Ferdinandum in nostro Siciliæ Regno sibi socium elegit, eumque Barcinonæ in Templo majori diademate Siculo coronari voluit die octava Junii anno* 1468. (*Surita* Annales de Aragon. *lib. XVIII. cap. XVI.*) *Eamobrem corrigendus Paternonius, qui in Joanne adserit Ferdinandum filium Siculo diademate ab anno* 1473. *fuisse insignitum, quod ante ipsum et Fazellus scripserat.*

(b) *Sub hoc rege multa timuit, et perpessa est Siciliæ Insula; nam occupato a Mahomete II. Hydrunto in Neapolitano Regno in ora Adriatici maris, metuebant non levi fundamento nostrates, ne Sultanus, qui novas jam copias instruxerat, in vicinam Siciliam irrueret, a quo terrore liberati sunt hujus Imperatoris morte, quæ accidit die* 2. *Julii anno* 1481. *et intestino bello inter Bajazetem, et Selimum fratres, qui de Imperio disputabant. Sed anno insequenti major advenit Regno calamitas, pestilentia videlicet, qua Messanensis Civitas præcipue, aliæque Insulæ urbes afflictæ sunt, quæ in unica Messana, ut testis Maurolycus est, decem, et octo millia habitantium orco vovit. In Granatensi bello præter extraordinaria subsidia etiam decimæ omnium bonorum Ecclesiasticorum Sixti IX. venia per plures annos Ferdinando solutæ sunt*

Multa sane præclare gessit Ferdinandus, quæ et justum exigunt volumen, quod cum ab instituto nostro, qui compendium scribimus, sit alienum, aliis faciendum relinquimus. Sub Regni initia Alphonsum hoc nomine V. Lusitaniæ Regem Duartis filium Castellæ jus sibi vindicantem, quod Joannam (3), quam ducturus erat, Henrici filiam, et ex Joannæ, quam alii Blancam vocant, sorore neptem falso crederet, adversum habuit, quem tamen post multas hinc inde illatas clades, atque acceptas, in Numantino agro die Veneris Martii mensis prima, anni MCCCCLXXVI. superavit. Toticæ partem, quam Granatam nunc appellant, quartodecimo, seu decimo, ut malunt alii, anno a suscepto bello, debellatis Sarracenis, octigentos jam ante illam annos possidentibus, anno salutis MCCCCXCII. prima Januarii die, una cum uxore, quæ non minus in ea expugnatione operam navarat, suo subegit imperio (c). Qua insigni victoria potitus, ubi Barcinonem triumphans ingreditur, a Joanne Carcemus Catalano obscuris parentibus orto, gladio impetitus in collo graviter vulneratus est (d), quod Rege perempto Regnum sibi

---

sunt, quæ res gravissima fuit universo Ecclesiasticorum cœtui. Bajazete deinde exercitum ingentem adversus Christianos parante, iterum Siculi expaverunt. Omnium autem malorum maximum nostris fuit durum, asperumque Gasparis de Spes Viceregis gubernium, a quo tandiu vexati fuerant. Sed tandem Ferdinandus noscens injusti hujus Ministri crimina, a regimine revocavit, carcerique ad luenda delicta mancipavit, statuitque, ut in posterum nemo posset Viceregiam potestatem, nisi per triennium exercere: hæc lex hodiedum subsistit, tametsi soleant Siciliæ Reges quandoque eosdem in officio confirmare.

(c) *Dignus sane commendatione Ferdinandus fuit, quod Granatam per plura Sæcula a Sarracenis occupatam ab eorum manibus resumpserit; non eamdem nihilominus sibi promeruisse laudem rentur politices studiosi in eo, quod Mauros voluerit, invita minerva, Christianam fidem amplecti, quod tremendum S. Officii Tribunal eo in Regno collocaverit, quod plures renuentes mactaverit, nonnullos ad effugienda tormenta abire coegerit, ceteros fictos fecit catholicos. Parcendum tamen illi ætati est, in qua tolerantia aliarum Religionum, quæ tranquillitatem Imperii non offenderet, quæ modo apud nostri ævi Principes obtinere solet, scelus reputabatur gravissimum.*

(d) *Ferdinandus triumphans Barcinonem ingressus est die octava Octo-*

sibi ab Angelo polliceretur, ut ipse tormentis adactus fassus est (4).
Hoc eodem anno ultimo Martii die Ferdinandus ex Hispania ceterisque imperii sui Regnis Judæos omnes, qui Christi salutari lavacro ablui noluere, expulit; eos vero, qui ex Judaica pravitate conversi postmodum ad Judaismum redierant, Xisti IV. Pont. Max. auctoritate, duo circiter hominum millia, jam ante flammis absumpserat (e): Officium S. Inquisitionis ad hæreticorum prava dogmata investiganda, atque punienda anno MCCCCLXXX (f), contra latrones, obsessoresque viarum (5) aliud (quod *la Hermandad* vulgus appellat) instituit. Quod propter Catholici cognomento tum ipse,

---

Octobris anni 1492. *Vulneratus autem die septimo sequentis Decembris, cum pergeret, ut subditorum querelas audiret, quod consueverant Aragonis Reges publice facere die Veneris cujuscumque hebdomadæ* (Surita Ann. *lib.* 1. del Rey don Hernando *cap.* XII. *pag.* 15. *et* 16.). *corrigendus propterea auctor hic est. Percussus autem est Rex non in collo, sed in capite. Ita idem auctor, qui nullam pollicitationis ab Angelo factæ fatuo huic homini mentionem injicit.*

(e) *Num Christianæ caritati, humanæque rationi consuluerit Ferdinandus, cum Hebræos a suis ditionibus expulit, eorumque innumeros flammis devovit, non est nostrum definire. Quod præteriri ab Historico minime debet illud est, tam scilicet dure atque aspere ejectos fuisse, ut ne Scythæ quidem ita se gessissent. Videndus est Joannes de Joanne* Ebraismo di Sicilia *lib.* I. *cap. XXVI. Certe hac Hebræorum exturbatione tum in Regnis Hispaniæ, cum in Sicilia non parum imminuta est incolarum frequentia; fertur enim centum sexaginta millia eorum ab Hispania evasisse, qui additi Mauris ante hac e Granatæ Regno profectis solitarias Hispanas civitates redidere; in Insula vero nostra, si veræ sunt Joannis de Joanne conjecturæ, plusquam centum mille incolæ ex Judaica gente desiderati sunt. Mitto negotiationem pene periisse, quæ ab ipsis unice exercebatur, populosque Siculos ad summam egestatem fuisse redactos, quousque alii extinctum commercium noviter excitarunt, atque Asiam, Africam, Lusitaniam, Navarram, Neapolim, pluresque Italiæ urbes, quæ expulsos humaniter receperunt, divitiis abundasse.*

(f) *Antiquior est Tribunalis Inquisitionis institutio, tum apud Hispanos, cum apud nos, quamvis certum non haberent fidei Quæsitores domicilium, sed pro opportunitate a Romanis Pontificibus hac illac mitterentur, ut bellum Hæreticis, et Hebræis adferent. In Hispania autem certo*

ipse, tum qui post eum sunt subsecuti (*g*) Hispaniæ Reges cohonestati sünt. Eodem anno, quo Granatæ Regnum expugnarat, Indias occidentales vastissimas, easque incognitas antea regiones Christophori Columbi Genuensis auspiciis collustravit, suæque ditioni subjecit. Sub idem quoque tempus Neapolitanum Regnum, Friderico Aragonio pulso (*h*), ac Ferdinando filio Calabriæ Duce, quod ab Alphonso patruo prædecessore acquisitum in Ferdinandum filium spurium ab Aragonum corona sejungi non potuerit belli jure, est assecutus (*i*). Cujus postea Regni jus (investituram vocant) anno MDX. ab Julio II. ut Gonsalvus Illescas lib. 6. testatur, obtinuit. Ce-

---

certo ordine, et loco non fuit constitutum ante annum 1483. *agente præcipue Thoma de Turrecremata, qui a confessionibus Ferdinandi; et Isabellæ erat, a quo infinitæ victimæ mactatæ nimia zelotypia sunt. Putant nihilominus nonnulli politicum hoc fuisse Ferdinandi inventum, sive ut primores sibi suspectos sub specie religionis sacrificaret, sive ut horum, et Hebræorum, qui opulentissimi erant, bonis ditesceret. Sero apud nos fundatum hoc Tribunal scimus scilicet anno* 1513. *ea forma, qua in Hispania fuerat anno ut dictum est* 1483. *et ex Paramo* (de Orig. Off. Inquis. *lib. II. tit. II.*) *et ex Pirro* (Chron. Reg. *Sic. pag.* 97.) *constat. Permansit autem in Sicilia annis* 269. *quot ab anno* 1513. *fluxerunt usque ad annum* 1782. *quo Clementissimus Ferdinandus III. quem Deus diu servet incolumem, illud extinxit.*

(g) *Si quod Mauros e Granatensi Regno, et Hebræos ex ceteris suis ditionibus expulerit, Tribunal Inquisitionis erexerit, aliudque adversus fures viarumque grassatores instituerit*, Catholici *cognomen obtinuisset Ferdinandus, eo fuisset equidem honestatus ab Innocentio VIII. quo Rom. Cathedram tenente hæc gesta sunt. Cum vero constet sub Alexandro VI. et postquam Insularum occidentalium opera Christophori Columbi potitus fuit, id nomen fuisse sortitum, verosimilius est, ob hoc potius, quasi religionem catholicam in ignotas terras diffuderit, fuisse ita dictum.*

(h) *Inter præclara Ferdinandi gesta non erat, me quidem judice, reputandum, quod Fridericum a Neapolitano Regno expulerit. Nam præterquam quod nullum in illud jus habebat, quod ab Alphonso conquisitum juste fuerat Ferdinando filio donatum, cum Alphonsus, et Ferrandinus ejus filius par Carolum VIII. Gallorum Regem a regno expulsi, ab eo postulaverint in avitam hereditatem restitui, Consalvusque de Cordova dux cum copiis, ut afflictis principibus suppetias ferret, ejus jussu in regnum* in-

Ceterum anno salutis MDVIII. Oranum Mauritaniæ Urbem Francisci Ximenii Toletani Archiepiscopi, ac Cardinalis eximii opera, et censu, Petro Navarra duce, tum Bugiam Numidiæ, cum nonnullis in freto Gaditano oppidis expugnavit. Anno præterea MDX. die festo S. Jacobi Tripolim in Africano littore sitam urbem trium horarum spatio vi cepit, ac suo adjunxit imperio (i). Tum deinde anno MDXII. Navarræ Regnum Frederico Albæ duce exercitus præfecto, Joanne Britio Rege inde exacto, quod Francorum Regi contra Julium II. Pont. Max. adhæserit, est assecutus (k): quod tamen anno postea MDXXI. Franciscus Gallorum Rex nacta occasione, quod Hispani sub Caroli V. Cæsaris initiis tumultuaverint, eadem felicitate, qua recuperavit, iterum amisit. Sed et hæc alii copiosius prosecuti sunt.

Quinque ex Uxore suscepit filios Ferdinandus, marem unum nomine Joannem (l), qui Margaritæ Imperatoris Maximiliani filiæ copulatus est, nullusque eo ex matrimonio subsecutus est heres. Maritus enim Salmanticæ anno salutis MCCCCXCVI. gravidam cum reliquisset uxorem, abortum illa paulo post passa est. Femellas vero quatuor, Elisabetham, Joannam, Mariam, et Catharinam. Elisabetha nu-

---

ingressus fuerit, atque Gallos expulerit, a proditionis noxa excusari Ferdinandus nequit, si in speciem amicitiæ, et velut Principum injuste vexatorum defensor, et protector in eorum regnum ingressus, postquam Gallos exturbavit, veros ejus dominos, adducto prætextu, quod haud posset illud a Corona Aragoniæ sejungi, propria ditione exspoliavit.

(i) *Hæc potius celebranda erant, quæ bono Christianorum gesta sunt, qui ea ratione à Piratis liberati sunt, quamvis primæ adquisitionis honor potius Cardinali Ximenes, qui suo ære hoc bellum sustinuit, debeatur.*

(k) *Nec hic culpa vacavit Ferdinandus, quod enim erat Navarræ Regis crimen, si Julio Pontifici non adhæserit? Anne Religio? Sed Julius, cujus militaria gesta nota orbi sunt, non pro religione pugnabat, tametsi spiritualibus etiam armis usus fuerit.*

(l) *Hunc ferunt Auctores libri* (Art de verifier les dates Chron. Hist. de Rois d'Espagne *pag. m.* 821.) *cum equitaret, infeliciter in terram ruisse, et mortuum esse: sed Surita, cui major habenda fides est,* (Hist. de Rey d' Hernando *lib. III. cap. IX.*) *adserit eundem dum Salamanticam cum uxore perrexisset, ibidem continenti febre fuisse correptum, et post tredecim dies obiisse.*

nupsit primum Ferdinando Portugalliæ Principi Joannis II. filio, quo sine liberis defuncto, secundas iniit nuptias cum Emmanuele, qui in eo Regno Joanni successit, quocum Ferdinandi, et Isabellæ parentum opera Toleti Princeps dicta, seu, ut vulgus loquitur, jurata est. Sed cum Augusti die XXV. Michaelem esset enixa filium, paulo post excessit e vita. Corpus autem Granatæ translatum, et more Regio tumulatum est. Porro Elisabetha vita functa, juratum adhuc est ab Hispanis omnibus, Aragoniis, Castellanis, Lusitanisque de Regni successore in Michaelem filium. Verum hic brevi migrans e vita, spes omnis excisa est. Sed et Joannam (m) Philippo Maximiliani Cæsaris filio Burgundiæ, Austriæque duce uxorem tradidit, quæ Joanne Germano fratre, Elisabethaque sorore absque liberis vita functis, in paternis simul, ac maternis Regnis hereditario jure feliciter successit. Suscepit tertio Mariam Lusitaniæ (quod eidem Emmanueli Elisabethæ sororis quondam viro nupserit), et ultimo loco Catharinam Angliæ (quod Henrico VIII. qui post discessit a fide uxor data est) Reginas (7).

Ceterum Isabella Regina multis fatigata laboribus XXVI. Novembris anno DLV. supra M. ætatis suæ LV. in Metyna campo (n) deces-

---

(m) *Hæc vulgo* Joanna amens (*la folle*) *nuncupata est, sive quod sic nata fuerit, sive quod talis post mortem viri evaserit, quæ caussa certe fuit, ob quam, Philippo extincto, Ferdinandus ejus Pater, qui Neapoli morabatur, in Hispaniam statim redierit, ut Castellæ Regnum, a cujus gubernio a Genero fuerat expulsus, denuo filiæ nomine regeret, et ob quam Ferdinando fatis cedente, Carolus primogenitus Joannæ omnium ejus Regnorum, quorum heres remanserat, habenas duxerit.*

(n) *Fuit hæc Regina alti consilii, virilisque fortitudinis; Regna Castellæ, et Leonis per se regebat, tametsi virum consortem advocaverit, ejusque consilio quandoque uteretur, atque suis consiliariis in rerum administratione cotidie præibat. Ferdinandum ad ferendum Mauris bellum, et Granatense Regnum indipiscendum extimulavit, atque ope, et consilio juvit; audentior viro propositionem a Christophoro Columbo factam Indias Occidentales perquirendi, protexit, hæsitantemque Ferdinandum determinavit, quamobrem Hispani Reges ditissimarum regionum potiti sunt. Equitans semper, velut miles, in Castris ubique erat, nec quidquam negotiorum, sive belli, sive pacis actum in Hispania est, in quo primas non*

tessit. Cadaver autem Granatam deductum in humili loco sepelitur. Uxore igitur mortua Ferdinandus cum Ludovico Francorum Rege pace inita, ejus ex sorore neptem, cui Germana nomen erat (o), uxorem sibi copulavit: dotis nomine eâ Neapolitani Regni parte a Ludovico acceptâ, quam jure sibi deberi Gallus contendebat, ut Guicciardinus lib. VI. auctor est. At nulla ex ea accepta prole, anno ab orbe redempto MDXVI. Januarii die XXII. (p) Regni vero K. supra XI. annum agens LXIV. multis clarus victoriis, ac Regnorum ditione auctus diem clausit extremum Madrigalucii Leone X. Pontifice Maximo: et Granatæ eodem, quo uxor, conditus est sepulcro, in quo Aragonia stirps (q), quæ in Hispania diu, in Sicilia vero CCXXX. regnarat annos, extincta est. Philippus vero (r) Archidux Austriæ, Joannæ, ut dictum est, Ferdinandi filiæ maritus, cum jure uxorio Hispaniæ coronam ad annum salutis MDVI. Aprilis die XIII.

X Val-

non habuerit.. Digna equidem, quæ æternis laudibus celebraretur, nisi plus æquo Thomæ de Turrecremata, quem a confessionibus elegerat, obsequens Tribunal Inquisitionis, de quo diximus, institui in suis, et in viri regnis curavisset, eoque instigante Hebræos expelli jussisset.

(o) *Erat hæc filia Joannis de Fox Narbonensis Domini, et Ludovici XII. neptis, qui dum dotem Germanæ constituit Regni Neapolitani partem, quam sibi deberi putabat, nonnisi merum, et simplex jus (quod utrum recte sibi adrogaret, ceteri judicent) concessit; jam enim Galli per Consalvum de Cordua fuerant ab eo regno expulsi.*

(p) *Sequenti die XXIII. mortuus est, ut testis est Surita (lib. X. T. VI. pag. 402. col. III.).*

(q) *Legendum potius* Castellana stirps, *ut sæpius adnotavimus.*

(r) *Philippus, qui ob oris venustatem* pulchri *cognomen assecutus fuerat, erat Maximiliani Archiducis Austriæ, et Imperatoris filius, qui post mortem Elisabeth Reginæ Aragonum, Regis Castellæ titulum assumpsit, invito Ferdinando Catholico, qui adhuc Regnum illud possidere desiderabat. Bruxellis egressus ubi cum Joanna uxore moratus fuerat anno 1506. in Hispaniam pervenit cadente jam mense Aprili. Ut apparuit, statim Hispaniarum primores, Ferdinando relicto, eumdem prosecuti sunt. Ob quam rem adeo irritatus hic fuit, ut in speciem invisendi regnum Neapolitanum, Aragonia discesserit, et Neapolim venerit, postquam illum Castellæ Regem summis omnium plausibus coronari agnovit, nec nisi eo mortuo in Hispaniam rediit.*

Vallisoleti esset assecutus, ac ante socerum paulo post, hoc est XXV. Septembris anni ejusdem occubuisset (5), liberis superstitibus, Carolo, de quo mox dicendum erit, Ferdinando Ungariæ Rege, qui Carolo fratri Cæsareo in Imperio successit, Eleonora, quæ Emmanueli primum Lusitanorum, et inde Francisco I. hujus nominis Francorum Regibus nupsit, Maria, quæ Ludovico Ungariæ ac Bohemiæ, Elisabetha, quæ Christiano Daciæ, et Catharina, quæ Joanni III. Emmanuelis filio Regibus, uxores traditæ sunt. Carolus ejus primogenitus in paternis simul, ac maternis bonis omnibus legitimus institutis est heres, resque tota ad Austriacam familiam, in quam nostra nunc convertenda est oratio, deducta est.

AD-

(5) *Immatura ætate mortuus est, vix enim octo et viginti annos compleverat.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Fertur natus Ferdinandus in Villa Las Aragonsas prope Navarræ confinia die Martii X. anno salutis MCCCCL.

2. Obiit Henricus Matriti IX. (*a*) Decembris MCCCCLXXIV. cum uxore, et filia ab Eduardo Rege interfectus. Fazellus lib. poster. dec. 9. cap. 10. (*b*).

3. Hæc est ea Joanna, quam Beltranegiam vocant, quod revera Beltrani a Cueva Alburqueques Ducis, qui cum Regina concubuerat, esset filia (*c*).

4. Ferdinando regnante anno 1495. natus est Guispovæ in Cantabria Ignatius Loyle, qui Societatis Jesu Religionem fundavit.

5. Hoc instituerat prius, anno nempe MCCCCLXXVI.

6. Paucis rem totam sic accipe. Anno a Christo nato MCCCCXXII. jam-

X 2

(a) *Lege potius XII. Decembris* (Art. de verifier les dates Chronol. Hist. des Rois d'Espagne Rois de Castille, et de Leon Henrici IV. pag. 818.).

(b) *Meminit Fazellus citato loco hujus Henrici, sed ab Eduardo Rege fuisse interfectum non refert. Eduardus vero, quem auctor memorat, alius esse non potuit, nisi Rex Angliæ hujus nominis IV. qui ea ætate vixit, quem tamen cum Henrico Castellæ Rege bellasse, eumque interfecisse, ignoramus. Intestinis quidem dissidiis Henrici Regnum discerptum fuit, aliis eundem e regio solio exturbare conantibus, aliis vero diadema in ejus capite substinentibus, ipsum vero gladio periisse ejus ævi scriptores minime adserunt, qui omnes Henricum post tot tumultus, conspirationes, bellaque civilia tandem fatis cessisse narrant.*

(c) *Henricus IV. de quo modo diximus, vulgo* impotens *nuncupatur, quod non ob corporis constitutionem, sed ob intemperantiam, quam in prima juventute mulieribus studens contraxerat, gignendis filiis ineptus reputaretur. Is vero Joannam velut a se natam cognovit, moriensque Regni heredem dixit; nihilominus exclusa ab Ordinibus regni fuit, quod spuria reputaretur, atque diadema in Elisabetham defuncti Regis Sororem, quæ sibi oblatum vivente fratre generose respuerat, translatum est.*

jamque Ferdinando I. Neapolis Rege Alphonsi notho filio vita functo, Alphonsus, et Fridericus filii superstites fuere, quorum prior (d) in regno illi cum successisset a Carolo VIII. Francorum Rege, fœdere cum Alexandro VI. Rom. Pont., et Ludovico Mediolanensium Duce contra Neapolim inito, anno MCCCCXCV. Januarii die VIII. pulsus Messanam turpiter aufugit, ubi, et anno insequenti, die Novembris XIX. diem suum obiit, et in Templo maximo conditus est (quamvis Guicciardinus lib. I. Mazaram, quam dono a Ferdinando nostro acceperat, se recepisse scribat) Ferdinando filio superstite Regia corona, vivente adhuc Patre, insignito. Interea Ferdinandus Hispaniarum Rex Catholicus, de quo loquimur, auxiliari classe contra Carolum in Ferdinandi Neapolis Regis gratiam missa, ac Carolo facili negotio pulso, Ferdinando Regnum re-

(d) *Hujus facti historia non recte a Paternonio enarratur, atque propterea sic corrigendum arbitramur. Alphonsus II. Ferdinandi Neapolis Regis filius, cum post patris mortem regni habenas suscepisset, in odium primorum inciderat, quæ res Carolum VIII. Gallorum Regem, qui jus in Regnum Neapolitanam sibi vindicabat, quique ab Alexandro VI. Rom. Pont. ad ejus acquisitionem fuerat vocatus, incitavit, ut bellum Alphonso afferret, cui animos quoque addiderat Ludovicus Morus Mediolanensis Dux, Regisque Neapolitani infensissimus hostis. Alphonsus, ut Mori ulcisceretur, et bellum a sua ditione distraheret, terrestrem exercitum Genuam versus misit, ubi fama erat, classem Gallicam una cum Carolo Rege jam pervenisse, suisque copiis Imperatorem Ferdinandum primogenitum suum constituit, triremesque triginta quinque aliis cohortibus onustas, et ad bellandum idoneas paravit, jussitque, maritimo itinere Genuam pergere, ut undique, terra nempe et mari, Gallos aggrederetur. Utraque expeditio male cessit, classis enim Triremium prope* Rapallum *non longe a Genua eversa est, terrestrisque exercitus ad Britinorium ingenti clade affectus est, ipseque Ferdinandus vix potuit Neapolim refugere. In tanta rerum perturbatione Alphonsus exercitus suos profligatos videns, Carolum adventantem sentiens, Alexandrum VI. inimicum patiens, nec suis fidens, quippe populum, et Dynastas noverat sibi infestos, cogitavit sive angustiis pressus, sive a Pontifice admonitus, Regnum filio Ferdinando, quem Neapolitani amabant, renunciare: quem cum publico instrumento Regem sua recusatione diadematis declarasset, et a subditis agnosci jussisset, pretiosiora, et tercen-*

recuperat (*e*). Verum paulo post hoc est anno 1496. sine liberis decedente, Fridericus ejus patruus Ferdinandi primi filius, ac Alphonsi germanus frater Regnum jure successionis invadit. Sed annos quatuor postquam rerum potitus fuerat, Ludovicus XII. Franciæ

centum quinquaginta aureorum millia colligens Triremi se commisit, atque Marsalam navigavit, quo perveniens Monasterium Ordinis S. Benedicti Congregationi Montis Oliveti sibi habitationem, ut Deo colendo vacaret, elegit. Ferdinandus, quem Ferrandinum etiam nominant, labentem jam jam Coronam a patre accipiens, collectis copiarum reliquiis studensque, si fieri posset, hostem propellere, eas ad Sanctum Germanum disposuit. Jam vero timor suorum animos invaserat, et necesse fuit, ut tam opportuno loco relicto, Capuam, quæ munita erat Civitas, veniret. Inde Neapolim solus perrexit, ut suos in officio contineret, sed postridie Capuam rediens, neminem suorum reperit; duces enim partim fugerant, partim se adhæserant Gallis, qui ne evaginato quidem ense Civitates, et oppida, per quæ transibant, nullo negotio occupabant. Omnem conservandi Regni spem demittens Ferrandinus Neapolim reversus est, convocatisque Regni Ordinibus, eos a juramento Fidelitatis solvit, hortatusque est, ut cum Carolo VIII. conciliarentur, atque Triremem conscendens in Ænariam Insulam transfretavit, unde Messanam pervenit vicesimo die Martii anni 1495. (V. Summonte Hist. di Napoli *lib. VI. cap. II. T. III. pag. 515.) Alphonsus audiens Neapolitani Regni jacturam filiique in Siciliam adventum, relicta Marsala, Messanam advolavit, ut Ferdinandum primogenitum, et Fridericum amplecteretur, cum quibus statuit Aragonii regis auxilium in tam gravi discrimine esse implorandum.*


(e) *Cum Consalvi Aragonii Regis ducis opera, atque Neapolitanorum amore, expulsis Gallis, revocatus Neapolim Ferdinandus, iterum regni habenas recuperavit, excitatum in corde Alphonsi, quamquam infirmi, regnandi desiderium est, propterea ad filium scripsit, velle se Neapolim redire. Tanta est in hominibus gubernandi cupiditas, ut nisi post mortem desinat. Ferdinandus vero noscens Neapolitanorum odium in Patrem, metuensque, ne ejus præsentia eorum animos immutaret, ab hoc eum consilio deturbavit, tempus adhuc opportunum non esse respondens, cum non omnes Regni Civitates Aragonia insignia hactenus erexissent. Brevi tamen Alphonsus mortuus est Messanæ, ubi moram produxerat, nam e vivis excessit 19. Novembris anni ejusdem 1495.*

ciæ Rex, qui Carolo successerat, et Ferdinandus Catholicus (qui quod legitimum se prædiceret Alphonsi I. Neapolis Regis, et Acquisitoris nepotem, et heredem, ad se Regnum illud pertinere ajebat) de Friderico Aragonio a Regno pellendo, et inter se æque dividendo conveniunt. Classe igitur a Ferdinando instructa, Consalvo Ferdinando cognomento magno Capitaneo præfecto exiguo labore rem omnem ditioni suæ subegit; Friderico Rege ad Ludovicum Francorum Regem profugiente, ac Ferdinando unico filio, ac Regni herede a Consalvo capto, et in Hispaniam misso, et servato. Verum orta inter Ferdinandum, et Ludovicum contentione de Regno Neapolitano dividendo, Ferdinandus eodem Consalvo duce, superatis, et pulsis Gallis, toto solus potitus est Regno.

7. Obiit Henricus anno salutis 1548. annum agens 57. Regni vero sui anno 38.

DE

SICILIÆ REGES EX AUSTRIACA FAMILIA ORTI



DE CAROLO V.

CÆSARE

SICILIÆ II., ET HISPANIÆ I. HUJUS NOMINIS REGE.

CArolus (a) ex Austriaca (1) eademque multis titulis nobilissima familia Imperator hujus nominis V. (b) Siciliæ vero Rex II. et Hispaniarum I. Philippi Archiducis Austriæ Maximiliano I. Imperatore geniti, et Joannæ Ferdinandi Catholici filiæ primo loco natus, ortus est Gandavi in Belgio anno salutis MD. Ad Papiam Urbem (2) Franciscum Gallorum Regem profligavit, captivumque in Hispaniam deduxit: quem tamen non solum excepit humanissime,

(1) *Cum Carolus cum Joanna Matre in Belgio esset, Ferdinandus priusquam moreretur, constituit, ut Cardinalis Franciscus Ximenes Toletanus Archiepiscopus Regni gubernium susciperet, quousque Joanna cum filio adveniret. Mortuo Ferdinando Catholico orta dissensio est, cuinam regnorum habenæ essent tradendæ; Ferdinandus enim Caroli frater, velut Joannæ filius, et Adrianus, qui nomine Joannæ Legatus in Hispana Curia resederat, ad se pertinere contendebant regimen, sed obstabat demortui Regis testamentum; ea propter, cum Carolus consultus esset, respondit se nihilum quidem ab avi voluntate velle recedere. Ximenes ideo cœpit interim reipublicæ administrationem curare, cujus deinde opera factum est, ut primores Hispaniarum, qui vivente Joanna Carolum velut Regnorum Gubernatorem habendum esse judicabant, ut Regem, matrisque adjutorem agnoverint. (Sandoval vida di Carlos V. lib. II. §. VII. et VIII.)*

(b) *Franciscus I. Galliæ Rex de Imperiali diademate diu cum Carolo contendit. Pacificis primo rationibus Electorum vota, sive quærendo, sive pecunia coemendo, atque Leonis X. Pontificis Max. favorem impetrando, deinde vero armis, quæ paravit, et Francofurtum versus, qua in urbe novus Imperator erat eligendus, destinavit: sed Carolus qui in Austria dominabatur celerius eumdem in locum copias suas misit, obtinuitque ut die 28. Junii anno 1519. Rex Romanorum, et Imperator eligeretur. Hæc forte caussa fuit, ob quam ambo hi Principes, ceteroqui illustres, quoad vixerunt, mutuis semper odiis exarserint.*

sime, sed et (c) liberum XVIII. Maji insequentis anni, Heleonora sorore ei in uxorem copulata, dimisit; ceterum anno MDXIX. vel XX. ut Fontano in Historia sui temporis placet, Junii XXVIII. ætatis vero suæ XIX. ob avi Maximiliani obitum Francofordiæ in Germania Romani Imperii Rex, et Cæsar uno omnium ore dictus, anno deinde, qui hunc secutus est, Aquisgrani, eodem, quo natus est, die, prima Imperii corona redimitus est, et quod mysterio non vacat, ea ipsa dies est, qua et Solimannus (cujus efferatæ potentiæ se semper multa cum gloria, et laude opposuit valentissime) Selymi filius Constantinopoli coronatus est. Nec non Bononiæ anno MDXXX. a Clemente VII. Pont. Max. Imperii infula insignitus, aureaque corona cinctus sacro de more inunctus oleo, matre superstite (obiit enim illa deinde XI. Aprilis MDLV.) Regnorumque omnium suscepit habenas. Ad hæc eadem quoque die anno MDXLVII. Saxoniæ Ducem vicit, profligavit, cepit, ut scribit Aloysius Avila in Commentariis belli in Alemannia gesti (3).

Per id autem temporis Hispania, quod exteros homines ad Magistratus, et officia, dignitatesque Cæsaris mandato admittere nulla ratione se ferre posse diceretur, defectiones maximis cum tumultibus, ac seditionibus, quas hodie *Communitates* Hispani vocant, nequidquam tentavit (d): a quibus neque Siculi liberi fuere, nam cum Ugo de Moncada Siculis tunc temporis pro Rege præesset, ejus insolentiam cum amplius ferre non possent, occasionem nacti magistratu se abdicare, armis compulere, fidem se Carolo servaturos asserentes. Sed hæc alii fusius (e)

An-

(c) *Postquam Franciscus I. victus Papiæ unius anni spatio Matriti in Castro non adeo humaniter, ut Paternonius vult, exceptus moratus fuit, ut ejus ævi scriptores referunt, tandem opera Henrici VIII. Angliæ Regis, cui immensa Caroli potentia maxime displicebat, vinculis solutus fuit, sed duris adeo conditionibus, ut penitus libertatem amisisse visus sit.*

(d) *Non ob id solum tumultus excitaverant Hispani, quod Carolus rerum administrationem Belgis hominibus tradidisset, sed etiam quod cogitarent hunc Principem jam Imperiali diademate insignitum ab Hispania recessurum, et apud Germanos moras tracturum: quæ res tam vasta, et insignia regna ad miseram Provinciarum Germaniæ conditionem redigebat.*

(e). *Præter Ugonis de Moncada expulsionem, quæ vix mortuo Ferdi-*

Anno præterea MDXXXV. Tunetum pulso Barbarossa multa cum laude, parata navium omnis generis classe ad sexcentas numero expugnavit (*f*). Semel tantum adverso Marte, temporis potius injuria, quam sua culpa pugnavit. Cum enim anno salutis MDXLI. die Octobris XXVIII. Algerium magna, eaque omni armorum, tormentorumque genere, ac multo milite instructa classe expugnaturus trajecisset, coorta protinus tempestate (l. tempestas), procel-

laque

---

dinando Catholico accidit, et de qua legendus est Fridericus del Carretto (*T.* 1. Opusc. Auctorum Siciliensium *pag. 6. et seq.*) *innumeræ aliæ seditiones, defectiones, et tumultus ætate Caroli V. in Siciliæ Regno evenerunt, quæ a Paternonio omittuntur, quæque difficile est in brevi adnotatiuncula enarrare: satis nobis erit, ea omnino non præterire, sed summis veluti labiis attingere. Hectore Pignatelli Comite Montis Leonis in locum Ugonis de Moncada in Regni præfectura adscito, orta est anno* 1517. *Joannis Lucæ Squarcialupo, aliorumque nobilium seditio adversus Ministros, qui Moncadæ factionem adhuc fovebant. Anno deinde* 1522. *accidit defectio nonnullorum ex nostris, qui Regnum Francisco I. Galliarum Regi exhibuerunt, quibus præerant Joannes Vincentius Fridericus, et Franciscus Imperatore fratres, Fridericus de Abbatellis Cammaratæ Comes, Jacobus Spatafora, et Petrus Joenius, aliique, opem rebellibus ferente Cardinali Imperiali Volterrano. Sub eodem Vicerege Xaccæ etiam intestina bella inter Sigismundum de Luna Comitem Caltabellotæ, et Jacobum Perollum Pandolfinæ Dynastam funerum numquam sine lacrymis memorandorum cruenta fuere caussa. Adde his seditionem Hispanarum copiarum, quæ in Arce Gulettæ prope Functum tumultuatæ fuerunt, cum anno* 1538. *in Siciliam venientes, oppida, urbesque Vallis Demonum vastarunt; aliamque, quæ anno* 1540. *Messanæ excitata fuit adversus Joannem Tagliavia Terrænovæ Marchionem, et Siciliæ Admiratum, quod hominem ad Consulatum maris pertinentem, carceri mancipari jusserit, contra privilegia urbis illius, quæ nonnisi vincto ad pristinam libertatem restituto cessavit.*

(f) *Tuneto occupato, atque Rege Muley-Assen in ejus Regni solio restituto, Augustus Carolus in Siciliam venit, et primo Drepanum appulit, ubi postquam plures moratus est dies, ut vires bello, et itineribus fessas restitueret, digressus deinde est, et peragratis Lylibeo, et Alcamo, ad montem Regalem pertigit, ibique consedit octo dierum spatio, quousque Panormi cuncta ad ejus ingressum necessaria præpararentur.*

laque ita naves quatiit omnes, ventorumque furiis disjecit; ut vix Cæsar ipse cum paucis militibus naufragium evaserit (g).

Victoriis igitur clarissimus, bello, et pace Princeps Optimus, ac rerum gestarum gloria cumulatissimus, raro animi magnitudinis, ac pietatis exemplo illustrior redditur (h). Anno siquidem ætatis suæ

---

tur. Deinde tertio decimo Septembris Urbem hanc Principem, ut Victor ingressus est, quam invenit pannis holosericis ornatam, atque arcubus, quos Triumphales nominant, ad designandam victoriam nuper de Ariadeno Barbarossa reportatam, hac illac dispersis instructam. Celebrato præterea die 22. ejusdem mensis generali colloquio ducentum quinquaginta millia aureorum, tribus Regni ab Ordinibus dono recepit, et quartodecimo die sequentis mensis relicta Panormo, Messanam properavit, quam in urbem pari pompa ingressus, postquam Pragmaticas nonnullas leges promulgasset, brevi Neapolim perrexit.

(g) *Secundam cotidie Carolus expertus fortunam, adeo animo efferebatur, ut ducum suorum consilia aspernaretur. Fertur, Andream de Auria classis præfectum, atque in arte nautica peritissimum Augustum ab ea expeditione dehortatum esse, cum ea tempestas opportuna ad Algerium expugnandum, ob Marium illorum inconstantiam, non esset, atque suasisse, ut ad insequens ver eandem differret, Cæsaremque pervicacem ejus suasionibus restitisse. Vere mare Mauritanum adeo procellosum, hyemali præcipue tempore, est, ut arduum omnino ac prorsus difficile videatur classem diu in eo morari, quin pericula non levia patiatur. Bis nostro hoc ævo Algerii oppugnatio a Carolo III. Hispaniarum Rege tentata est, sed incassum, non exiguis damnis navibus, et exercitui illatis.*

(h) *Non defuere inter politicos, qui recusata diademata, nec animi magnitudini, nec pietati referentes, alias causati sunt rationes. Nonnulli enim Carolum post matris mortem, quam eximie amabat, in tristissimam mæstitiam incidisse adserunt, ob quam cuncta molesta ei erant, nec re aliqua oblectabatur. Placet aliis adeo eumdem podagræ doloribus fuisse excruciatum, ut tot Regnis administrandis ineptum se senserit. Aliis tandem videtur, Augustum hunc fortunæ suæ inconstantia, quæ amplius ipsi non adridebat, lacessitum, ne hujus vanæ Deæ ludibriis amplius exponeretur, cunctis, quæ possidebat, supremum nuntium misisse. Sed forte hic Augustus frequenti experientia cognovit, quam amarulenta sit Regnantium vita, quos ignarum vulgus felicissimos reputat, atque in secessu tranquillitatem, pacemque quæsivit.*

suæ LV. sub Octobris mensis finem Regnorum omnium sceptra Philippo filio ex Isabella Emmanuelis Lusitaniæ Regis filia (hanc enim anno sal. MDXXVI. mensis Martii die xv. apud Hispalim Bæticæ Urbem sibi adjunxerat) Vallisoleti anno MDXXVII. die mensis Maji XXI. suscepto lubens renunciavit, Imperii vero fasces Ferdinando fratri Bohemiæ Regi: et in Hispania ulteriori inter Religiosos S. Justi Ordinis S. Hieronymi prope Placentiam sanctissimam ducens vitam (i) anno salutis MDLVIII. Septembris XVII. (k) fato concessit, eodemque cœnobio tumulatus, anno postmodum MDLXXIII. Regia pompa Philippi Regis ejus filii pietate in Monasterium Divo Laurentio sacrum, quod juxta Scurialim oppidum idem Philippus incredibili sumptu a fundamentis erigit, translatus est. Reliquit præterea Carolus Mariam (4) filiam, quæ Maximiliano Imperatori hujus nominis II. patrueli suo, utpote Ferdinandi filio, nupsit, et Joannam (5), quæ Lusitano Principi. Tum Margaritam spuriam, quæ primum Alexandro Mediceo Florentiæ, ac deinde Octavio Farnesio Parmæ ducibus uxor est tradita; nec non jam ex pellice Joannem optimæ spei adolescentem elegantissimum, de quo in Philippo dicendum.

(i) *Quamvis Carolus pietati eo in Monasterio vacaverit, regimini nihilominus adsuetus, gubernium mundi, quod recusaverat, in Monachos exercere maluit: quæ res gravis admodum his accidit.* (*Vide Sandoval* vida del Emperador Carlos V. retirado en el Monastero de S. Juste). *Sed quod Carolum sive mæstitia cordis, sive cruciatibus corporis mente jam imbecillem evasisse ostendit illud est, quod antequam moreretur, egit. Voluit videlicet, ut dum viveret, funera sibi in Ecclesia celebrarentur. Paratis ergo omnibus ad hanc scenicam actionem necessariis, a Monachis sociatus e suis stationibus indutus linteo egressus est, et Ecclesiam ingressus, et in feretro prostratus propriis auribus* missam, *ut ajunt,* de Requiem, *et orationes, in suffragium suæ animæ recitatas audivit, quibus expletis eodem in habitu ad proprias ædes rediit* (Robertson vie de Charle V.)

„ Spectatum admissi risum teneatis amici.

(k) *Mortuus est die 21. Septembris.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Ex Austriacorum familia hi in hanc diem Romanorum Imperatores prodiere; Maximilianus I. cui successit Carolus V. ejus ex Philippo nepos. Huic Ferdinandus frater, post quem Maximilianus II. Ferdinandi filius; Maximiliano Rodolphus eidem primo natus, qui adhuc vivit vivetque.

2. Eo Gallus cum exercitu accesserat, Mediolanum, ad quod jus se habere contendebat, impugnaturus. Verum Cæsarem Franciscus Sfortia alterius Francisci, de quo in Alphonso I. diximus, nepos, ac Mediolani Dux heredem testamento instituerat. Tum deinde constat, Gallos a jure suo excidisse, cum Ludovici XII. culpa sponsalia inter Carolum V. et Claudiam ejus filiam effectum sortita non fuerint. Constituta quidem inter ipsos fuerat pœna, ut si sponsalia Ludovici causa effectum non haberent, id totum, quod habebat jus ad Mediolanum, transiret ad Carolum. Mitto quod deinde cum captivus Matriti detineretur Franciscus, eodem jure spoliari se passus est (*a*), sicut et eo, quod habebat ad Neapolitanum Regnum. Auctores in his habeo Guicciardinum lib. 16. in fine, et alios. Ceterum vita functus Franciscus est anno salutis 1548. Regni autem (*b*) 55. Henrico filio Rege relicto.

3. Notandum hic anno 1522. Solymanum Decimum Turcarum Tyrannum, qui præcedenti anno Albam Regalem expugnarat 25. De-

(a) *Quæ egerit in Vinculis Franciscus, minime attendenda sunt, ut enim catenas effugeret, et libertati restitueretur, durissimas a Carolo impositas conditiones recepit, animo easdem rescindendi, ut primum Galliæ restitueretur. Adeo vero ipsi Carolo persuasum fuerat, Regem Gallum pacta non servaturum, ut filios ejus sibi obsides dari curaverit.*

(b) *Franciscus I. mortuus est die ultimo Januarii anni* 1547. (*Art. de verifier le dates Chron. Hist. des Rois de France pag.* 575.) *Regnavit autem triginta duobus annis, cum Regni habenas anno* 1515. *mortuo Ludovico XII. susceperit. Cum vero tantum quinquaginta tres annos vixerit, qui potuit quinquaginta quinque regnare?*

Decembris (*c*) magnis viribus Rhodum terra, marique obsessam intra semestre tempus ob nostrorum ignaviam expugnasse, quam antea anno scilicet 1479. Xisto IV. Pont. Max. Mahometes cum tribus mensibus magna militum manu, æneis tormentis supra mille trecentis nequicquam tentasset (*d*), obsidionem solvere multo cum suo dedecore coactus est (*e*). Notandum secundo anno 1526. Theutonicos Georgio Francisco, et Ugone Moncata ductoribus, instigante maxime Pompejo Columna Cardinali, Romam prædatos fuisse Clemente VII. Pont. Max. At conciliatus Pontifici Cæsar (*f*); rursus anno insequenti Hispani, et Germani Carolo Borbonio Gallo Cæsaris exercitus duce fidelissimo, impietate tandem Urbem depopulati sunt (*g*), annis 980., a quo tempore Gothi per eamdem quo-

(c) *Rhodus in manus Solimani cecidit die* 3. *Mensis Sefer qui* 22. *nostri mensis Decembris respondet* (Art. de verifier les dates Chronol. des Empereurs Ottomans pag. 414.)

(d) *Mahomedis classis ad obsidendam Rhodi Insulam non pervenit, nisi* 23. *Maii anni* 1480. (*Vertot* Hist. de l'Ordre de Malte *lib.VII. T. III. pag.* 87.)

(e) *Classis eadem Rhodum reliquit* 3. *sequentis Augusti, ut vere obsidio solis septuaginta diebus perduraverit*. (*Vertot ib. pag.* 122.)

(f) *Quamvis Cæsarei, non ducibus Franisgo, et Moncata, sed Launojo Neapolis regimen substinente, Romam versus properassent anno* 1527. *Columnensibus opitulantibus, nihilominus non legimus eos Romam ingressos hanc urbem deprædatos esse, sed ut apud Guicciardinum, et Raynaldum scriptum invenimus, solum Frusinum obsidione cinxerunt, quam urbem cum expugnare non potuissent, erat enim munitissima, regressi sunt. Guicciardinus lib. XVIII. Rayn. ad ann.* 1527. *Ceterum neque pax inita inter Cæsarem, et Clémentem VII. est, sed solum octo mensium statutæ sunt induciæ*.

(g) *Vere Clemens promissis steterat, et Launoji fidei innixus copias dimiserat, et fortasse Launojus sincero animo agebat, cum Borbonio scripserit, ut recederet, nec in Pontificiam ditionem ingrederetur, sed is noluit Launoji mandatis obtemperare, sed properans, imparatam Urbem invenit, et populatus est. Sed quod non erat hic prætereundum, illud est, Clementem in Trajana arce inclusum diu obsessum fuisse, nec Carolum curasse, ut libertatem obtineret, nisi postquam eum durissimis conditionibus ad sua vota traxit. Quæ res famam Caroli V. maculavit, qui*

quoque fuerant grassati. Ad hæc per duos continuos annos salutis nostræ 1536. 1537. Ætna mons ignes maximo ad instar tonitruum sonitu eructavit. Ceterum Corilionis, ac Calatagironis oppidorum, solo dehiscente, pars magna corruit. Ex Fazello lib. post decadis 10. cap. unico (*h*).

4. Hæc marito vita functo Matritum anno 1582. VI. Martii reversa ex Germania, in Discalceatarum, quas vocant, Monasterio sanctissimam vitam duxit.

6. Obiit Joanna 36. annos nata anno salutis 1573. die Septembris septima Matriti, ibique in Discalceatarum Monasterio a se a fundamentis exstructo eleganti, ac Regio tumulo tegitur.

DE

qui sacrilegis modis Ecclesiæ Catholicæ Caput adeo obsessum retinuit, ut pene fame cum suis perierit. Nolo hic Clementem excusare, qui non modo pacem, ut Pontificem Patremque Christianorum decebat, non promovit, sed fœdus adversus Carolum cum aliis Principibus iniit, ut eumdem ab Italia exturbaret; sed Sacerdotis supremi dignitas exposcebat, ut mitius cum eo ageretur.

(h) *His omnibus addendam remur Militensis Insulæ concessionem a Carolo V. factam Equitibus Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, quam a scriptore Regum Siculorum nefas erat omitti. Postquam Philippus de Villiers magnus Ordinis Magister, paucique, qui remanserant sanguine madentes, plagisque onusti, Rhodum anno 1522. non iniquis quidem conditionibus formidabili Solimano dedere coacti sunt, Messanam venere, quam cum peste afflictam reperissent, alio digressi sunt; et ad urbem veterem appulerunt. Cum vero in diversa loca concurrissent, ut habitationem juxta mare sibi procurarent, ac reditum in Insulam Rhodum inutiliter tentassent, tandem oblationi Ordini a Carolo V. factæ acquieverunt, atque Melitam, et Gaudum, et Tripolis urbem certis quibusdam pactis in Imperiali diplomate, quod legitur apud Lunig (cod. Ital. diplom. T. IV. P. II. pag. 1490.) statutis habitandas recepere.*

sunt

DE PHILIPPO I.

SICILIÆ REGE, ET HISPANIARUM II.

PHilippus nominis hujus I. Siciliæ Rex, Hispaniæ vero II. Carolo V. Cæsari, ex Isabella Emmanuelis Lusitani Regis filia Vallisoleti natus Maji die XXI. anno ab Incar. Domini MDXXVII. rerum omnium molem, vivente adhuc Patre, uti diximus, subiit cum antea Princeps jam omnium consensu, ut vocant, juratus, primam sibi anno salutis MDXLIII. copulavit uxorem Mariam consobrinam suam Joannis hujus nominis III. Lusitani Regis (1) Avunculi filiam, ex qua Carolum suscepit anno salutis MDXLV. Mater vero paulo post a partu moritur. Sed et Carolus ipse Princeps juratus, patris mandato æquissimis de causis, ut par est credere, in Regiis ædibus diligenti custodia detentus XXIV. Julii die anno salutis MDLXVIII., ætatis vero suæ XXIII. fato concessit (a). Ceterum

(a) *Ne quis hic reputet, Philippum post mortem Caroli Infantis ad secundas nuptias transisse, vivebat enim hic Princeps, cum Pater Reginam Angliæ duxit uxorem et florebat jam ætate, cum Philippus ad tertias convolavit, et Elisabetham Henrici II. Francorum Regis filiam sibi matrimonio conjunxit. Hoc vero modo Carolus vinctus est: Rex noctu militibus stipatus in ejus cubiculum ingressus fuit, ablatisque armis, quæ penes eum erant, præcepit, ut clavis fenestræ configerentur, ipsique vigiliæ apponerentur. Deinde post aliquos dies voluit, ut in quamdam turrim custodiendus trasferretur. Frustra causæ paterni rigoris conquisitæ a curiosis sunt. Philippus sane peractæ hujus in carcerem filii conjectionis omnes ferme Europæ Principes commonefecit, sed non alias adsignavit suæ severitatis rationes, ut ex Epistola ad Pium V. conscripta detegitur (apud Giannattasium* Hist. Neap. *dec. VI. lib. LV.) nisi synderesim conscientiæ, Dei obsequium, Regnorumque suorum emolumentum. Dubia hæc, nec satis explorata, quibus Philippus usus est, verba nonnullorum ingenia excitaverunt, ut veram hujus facti originem expiscarentur. Zelotypiam complures causati sunt, quæ senibus, quibus pulchra adolescentula in uxorem contigit, familiaris est. Elisabeth enim, quæ primo Carolo Infanti erat despondenda, quamque deinde Philippus sibi elegit, privignum amabat, patronaque ejus semper apud virum erat, et*

rum secundam Philippus duxit uxorem Mariam Angliæ Reginam, sanguine sibi conjunctam (Henrici siquidem ex Catharina Aragonia uxore, quæ Joannæ Caroli V. Cæsaris matris soror fuerat, erat filia) anno Domini MDLIV. jure uxorio id Regnum assecutus; et cujus studiis Angli ad Catholicam fidem, a qua desciverant, revocati sunt. Verum brevi cessit e vita Maria, anno nempe IV. nulla prole relicta. Cui cum successiset in Regno Anglico Elisabetha ex pellice (2) Soror, hæreticorum dogmatibus infecta, iterum Angli Reginæ exemplo a fide abducti sunt. Anno igitur MDLIX. tertias iniit nuptias Philippus cum Elisabetha Henrici Francorum Regis filia, Regis nomen, et regimen Patris abdicatione jam assecutus. Sed et hæc duas enixa filias, Isabellam Claram Eugeniam in Sagobiæ nemore Augusti mensis die XII. anno salutis MDLVI. et Catharinam (3) Matriti die Octobris quarta MDLXVIII. et ibidem ipsa anno insequenti Octobris, die item IV. annos nata XXI. Marito superstite mortua. Cum itaque prole masculea careret Philippus, quæ tantorum Regnorum habenas aliquando tractandas susciperet, quartam sibi uxorem copulare anno salutis MDLXX. coactus est, Annam scilicet Austriacam, duplici sibi vinculo neptem; (erat enim Maximiliani II. Cæsaris, Patruelis sui, ex Maria ejusdem Philippi sorore filia: porro Ferdinandum Imperatorem Caroli V. fratrem patrem habuit Maximilianus) Celebratæ sunt autem nuptiæ XVI. Novembris Segobiæ, ubi venienti ex Germania sponsæ Philippus occurrerat. Verum, et hæc quoque gravida Baxaugustæ (Badagiosium vocant hodie) XXVI. Novembris MDLXXX. diem suum clausit

---

et a Carolo diligebatur, quamobrem ajunt Philippum, cum ægre ferret filium ab uxore adamari, suis cruciatibus eumdem immolasse, voluntque vindictam in eandem Reginam deinceps exercuisse; quæ paucos post menses a morte Caroli violenta morte rapta est. Placet aliis Carolum infantem lacessitum, quod pater jam vetulus non solum ipsius nuptias non curaverit, sed promissam quoque sibi Elisabetham surripuerit, ira excanduisse, et adversus Philippum, ejusque administros palam obmurmurasse. Cumque nulla in Hispania ejus ratio haberetur, fugam tentasse, sive ut in Italiam proficisceretur, sive ut apud Belgas confugeret, apud quos plurimos sibi amore conjunctos habebat. Suspectus propterea de hæresi dictus fuit, quod Belgis patrocinaretur. Nos in re tam gravi a judicio ferendo abstinemuv

sit extremum, atque ad Divi Laurentii Templum prope Scurialim tumulata; duobus superstitibus filiis (nam Ferdinandus, qui Matriti IV. Decembris die anno salutis MDLXXI. natus, ac agente patre omnium consensu Infans Princeps juratus, maximo cum mœrore quinquennis, ipso vivente, obierat), Diego, qui juratus et ipse Princeps septennis ibidem mortuus est, et Philippo, (4) qui vitam adhuc vivit, speramusque diu Christo Duce victurum, in quem a Lusitanis XXX. Januarii MDLXXXIII. et a Castellanis die Divo Martino sacra anni insequentis maxima cum lætitia juratum est.

Multa autem sunt præclara ad hanc usque diem a Philippo gesta (*b*). Ubi enim Regnorum sceptris potitus est, hoc est anno salutis MDLVII. die Augusti XXVII. magna vi Sangentinam (*c*) arcem Gal-

lo-

(b) *Nonnulla gestorum Philippi hic recensentur a Paternonio, cetera auctor hic tacuit, quamvis usque ad annum 1596. vixerit. Forte noluit opus suum prosequi, vel quod Matrito egressus, et in Siciliam se recipiens, quæ peracta ab eo Principe fuerant adamussim non sciverit; sive quod aliis distentus curis, nequiverit manum noviter ad opusculum suum admovere, et quæ ab anno 1585. ad annum 1596. acciderant addere. Nostrum erit in supplemento, quod adtexemus, reliqua enarrare. Interim, quæ notatu digna visa sunt in his, quæ a Paternonio referuntur, pro opportunitate subnectimus.*

(c) *Necessum est belli hujus historiam altius repetere. Priusquam Carolus V. sceptra Hispanica recusaret, e re sua duxit esse, eadem tranquilla in Philippi filii manus transferre, et propterea inducias quinque annorum cum Henrico II. Gallorum Rege, quocum bellaverat, constituit. Paulus IV. Carrafensis, et Neapolitanus Romanus Pontifex cum Carolo, ejusque filio simultatem gerebat, ægreque tulerat Gallum Regem arma deposuisse. Ne vero videretur dissidia hæc inter Principes fovere, singulari dissimulatione duos Cardinales Legatos ad eos misit, qui de initis induciis gratularentur, Scipionem Rebibam ad Philippum, et Carolum Caraffam nepotem ad Henricum III. Carolus vero in mandatis a Patruo habuit palam Regi Galliæ pacem suadere, sed clanculum ejus odium adversus Philippum excitare, atque Neapolitani Regni acquisitionem veluti facilem proponere, in eoque bello Pontificis auxilia exhibere. Hujus rei testis est Cardinalis Sfortia Pallavicinus* (Stor. del Conc. di Trento *lib. XIII. cap. XVI.*) *quem Romanæ Sedi fuisse addictissimum nemo igno-*

lorum munitissimam expugnavit, ac hoste trucidato, primariisque viris captis ad pacem tandiu a Christianis optatam Francorum Regem ineundam anno ab orbe redempto MDLIX. compulit, ejus filia, ut diximus, in uxorem ducta. Granatæ Regnum, quod a se desciverat anno MDLXX. Duce Joanne notho fratre, item suæ ditioni subegit, sicut et futurum superorum auxilio speramus, ut et Flandros quoque suavissimum ejus jugum detrectantes aliquando compescat (d). Ceterum anno a Christo nato MDLXXI. die mensis Maji XXV.

---

ignorat. Rem, ut Paulus optaverat, gessit Carolus, atque expeditio in ulteriorem Siciliam constituta. Eo in fœdere fuit etiam Solimanus Ottomanorum Imperator, qui sequenti anno Classem paravit, quæ primum Regium, deinde Salernum, aliasque prope Neapolim Urbes depopulata est, quem utrum socium Henricus tantum vocaverit, an Paulo IV. instigante, vel tolerante ejus suppetias quæsiverit, quod horrendum dictu est, et nihilominus a nonnullis adseritur, definire non audemus. Philippus, cui Romanæ negotiationes minime fuerant occultæ, vacavit Neapolitani Regni securitati, misso in eas partes cum ingenti exercitu Duce de Alba Mediolanensi Gubernatore, qui Regnum illud custodiret. Deinde ut parem vicem Henrico redderet, Ferdinandi Gonzagæ consiliis acquiescens in Germaniam inferiorem copias misit sub imperio Emmanuelis Philiberti de Sabaudia, præcepitque ut Castellum Sangentinum, sive ut alii nominant, Sanquintinum, arcem magni momenti, cui Henricus dominabatur, aggrederetur. Misit Rex Gallorum Annam de Memoranfi, ut Castellum defenderet, qui secum XIII. millia hominum duxit. Præliatum prope Castrum est Gallos inter, et Hispanos, qui interfectis sex mille ex Gallis, sexque aliis mille victis, inter quos eorum Dux Anna, victoriam cecinere. Hoc casu prostratus Paulus IV. relicto Henrico, reconciliatus Philippo est anno eodem 1557. die XIV. Septembris. Odia nihilominus hos inter Reges perdurarunt, et biennio pugnatum est, quousque anno 1559. sincera pax, ut refert Paternonius, composita est.

(d) *Quam infelix fuerit hæc Paternonii divinatio suo loco referemus. Interim ante annum 1570. plura in Sicilia advenerunt, quæ silentio non sunt prætereunda; et I. misera expeditio adversus Tripolim, et Draguttem ibi commorantem, Duce de Medinacæli Viceregé eam dirigente, qui cum noluerit Joannis de la Valletta militis strenuissimi Magni Melitensium Magistri consiliis insistere, rem universam perdidit, et ægre*

xxv. inito fœdere cum Pio V. nominis hujus Pont. Max. (*e*) viro sanctissimo, ac Duce Veneto, quod Selymus II. Solymani filius Turcarum Imperator fidem Venetis infringens (5) Cyprum Insulam dudum obsidione cepisset, parata ducentarum triremium, ac centum onerariarum navium classe, instructoque quinquaginta peditum,

Z 2 equi-

ægre ab hostium manibus ereptus est. II. Tumultus Panormi excitati, Notario Cataldo de Tarsino plebem instigante, qui anno 1560. *accidit, quique Vincentii del Bosco Biscaris Comitis prudentia extinctus est. III. Septem nostrarum Triremium prope Messanam jactura, quas Draguttes anno* 1561. *cepit. IV. Marcelli Pignonii Marchionis de Orioles electio in Siciliæ Visitatorem, atque Tribunalium, et Ministrorum per eum facta reformatio, quæ Pragmatica Sanctione a Philippo adprobata fuit. V. Decretorum Concilii Tridentini acceptio in his, quæ fidem respiciebant, et in his quoque, quæ ad disciplinam attinebant, modo hæc Regia jura non læderent. VI. Adeptio fortissimæ arcis, quæ in Africa sita erat in Scopulo, qui vulgo nuncupatur* Pegnone, *quo secure Afri Piratæ, qui utramque Siciliam, et Hispaniam vastabant, confugere sæpe solebant, præcipue Draguttes prædonum princeps. VII. Melitensis Insulæ obsessio per Solimanum tentata, et vere inclita, et prodigiosa Equitum S. Joannis, et præsertim Joannis de la Valette Magni eorum Magistri virtus, qui a ceteris Christianis Principibus deserti, soli hostem propulsarunt, dum interim eorum opera, et diligentia Navale, quod Constantinopoli erat, una cum triremibus, navigiisque ibi exsistentibus flammis absumeretur. VIII. Tandem ut cetera missa faciam, dissidia inter Philippum, et Pium V. nata, quod is Bullam in* Cœna Domini *in Neapolis, et Siciliæ Regnis promulgari jusserit, atque Paulum Odescalcum Legatum ad nos miserit, quæ jura regalia, et privilegium* Siculæ Monarchiæ *violabant.*

(e) *Antequam sacrum hoc fœdus iniretur, Pius Cardinalem Alexandrinum nepotem in Hispaniam miserat, qui Pontificis nomine de malis usibus, qui in Tribunali Regiæ Monarchiæ inducti fuerant, conquereretur. Philippus in Siciliam scribens, ut rei veritatem agnosceret, cum nonnulla reformanda novisset, præcepit, ut in posterum noviter invectæ consuetudines resecarentur. Errant vero qui scribunt pacta quædam inter Regem, et Cardinalem fuisse inita, quæ* Concordiam Alexandrinam *nuncupant; nulla enim conventio eos inter habita est, tantumque Philippus quasdam Pontificis querimonias justas esse intelligens, ad debitam formam Tribunal Monarchiæ revocavit.*

equitumque millium quinque exercitu, eodem Joanne (6) Austriaco Duce strenuo, animi corporisque dotibus adolescente ornatissimo, qui oblecta Messanæ in Sicilia Fœderatorum omnium classe, triremium ducentarum octoginta quinque, inter quas sex maximæ, quas Balearias vocant, navibus onerariis longe absentibus, Turcarum classem longe superiorem (erat enim omnis generis tercentum triginta duûm navigiorum, ac Cypri expugnatione superba) die Dominico Octobris VII. in sinu Charintiaco obviam habuit, quam Christo favente trium horarum spatio ita profligavit, ac fere totam sub potestatem suam redegit, paucis exceptis triremibus, quæ fuga salutem sibi acquisivere, ut vix credi possit (f). Lusitanos ejus imperium, quod jure ob Sebastiani (7) ipsorum Regis interitum ad se pertinebat, recusantes, facili negotio domuit (g), simulque cum Lusitano Regno totius Orientis Indias assecutus, terra marique potentissimus eo suum provexit imperium, quo numquam Regem Christianorum ullum pervenisse certum est. Verum dum hæc in Lusitania fiunt, una ex insulis, quam Tertieriam vulgus appellat, Gallorum Regis præsidio suffulta, cum Philippum non admitteret, XXVI. Julii anni MDLXXXIII. Duce Alvaro Bazano Sanctæ Crucis Marchio-

(f) *Messanæ rediens Joannes Austriacus summis plausibus receptus est, eaque in urbe Principum Legatos ad se convolantes vidit, qui de insigni victoria gratularentur. Pius V. ad eum misit Galerum Ducale, et Ensem Hispanum gemmis ornata, quæ dona in caussa fuere, ut Messanenses novas sollemnitates instituerent; Panormum deinde venit, ubi gestientes cives in ejus honorem festos plures dies celebrarunt, perque urbem ea occasione superbæ moles erectæ sunt, per quas invictæ ejus res gestæ intuentium oculis exhibebantur. Thinissam post hæc, a quo Regno Muley-Assen a Carolo V. Rex constitutus per Uluechialem Piratam fuerat expulsus, aggressus est, eaque potitus, alium Principem, nempe Mahometum in ejus possessionem immisit, quem alii fratrem, alii vero consobrinum fuisse adferunt Muley-Assen, quem ut regimini ineptum, suisque invisum Regno exspoliavit, atque primo Messanam, deinde Neapolim duxit. Sed brevi Thinissa in manus Selimi Constantinopolis Augusti venit.*

(g) *Lusitani post mortem Henrici Cardinalis, qui Sebastiano successerat, Antonium, filium nothum Aloysii Henrici fratris, Regem conclamaverant, eum e Regio sanguine, etsi per illegitimum thorum, esset.*

chione, in deditionem acceptis Gallis (quos anno, qui hunc praecesserat, eadem ipsa die Augusti XXVI. navali praelio ob eamdem ipsam tutandam Insulam acriter pugnantes profligarat) expugnavit.

Est autem Philippus statura paulo minor justa, sed ea membrorum recta elegantique proportione, ut elegantius quod desideres, facile non invenies. Aspectu pulcher, capillo, barbaque sufflavus, colore candidus, ut Flandrum potius, quam Hispanum existimes. Eam vero toto vultu praesefert humanitatem simul cum Regia gravitate conjunctam, ut de facie semel agnitus in sui amorem vel aversos quosque rapiat, et alliciat. In cibis parcus, in sermone eum tenet modum, ut non solum convicio, sed nec, quod ad id oleat, verbo quemquam umquam laeserit. Ceterum aspectu, totoque corporis gestu eam aequabilitatem servat, ut quod condat pectore, nemini aliquando conjectare licuerit (*h*).

Iram, timorem, ceterasque ejus animi affectiones non nisi ex effectis expiscari poteris. Prosperis non attollitur, non frangitur adversis, tristia illum non dejiciunt, nec laetis aliquando gestire visus est (*i*). Quid plura? ille in omnibus utitur moderatione, eamdemque semper, et animi, et faciei constantiam praebet, qualem desiderasse, sed reperisse in nemine sapientes viri visi sunt umquam. Verum quanta in rebus gerendis polleat prudentia, justitia, ac dexteritate, nemo est, qui non videat (adeo in officio quosque suo, et primores, et plebejos continet omnes) nisi bardus, aut caecus ille sit. Christianae fidei defensor acerrimus, pietati erga Deum, Divosque addictissimus, quod vel ex una prope Scurialim oppidum a fundamentis extructa, ut diximus, aede Divo Laurentio sacra conspi-

(h) *Merita hujus Regis nullo partium studio abducti, eaque libertate, qua caruit Paternonius, indicabimus in fine Supplementi.*

(i) *Indolentiam semper Philippum in prosperis, adversisque comitatam esse scribunt cuncti ejus aevi scriptores. Fertur, cum anno* 1588. *Classem centum quinquaginta bellicarum navium, quam* invincibilem *vocari jussit, adversus Anglos parasset, oborta tempestate omnem penitus periisse. Quod infortunium nihilum commotus audivit, suisque, qui de eo casu angebantur, tranquille dixisse fertur, se naves, et copias contra Anglos, non adversus elementa misisse, Deique voluntati esse obsequendum.*

spicias (*k*) : opus sane toti orbi visendum ; ea siquidem est magnificentia, atque structuræ elegantia, ut Romanorum ædificia non æquet modo, verum et forte vincat. Cui enim aliquando sumptui pepercit Philippus, ut illud undequaque non absolveret? Artifices quosque peritissimos non ex Italia solum, quibus illa in omne opere semper floruit, sed ex toto pene terrarum orbe magna mercede conduxit. Ligna pretiosa, eademque imputribilia ex Orientis, et Occidentis totius remotissimis regionibus ad contignationes, mensas, sedilia ex cedro, ebano, buxo, et aliis id genus miro cum artificio tessellata, adeo ut opus cum materia, et materia cum opere certent, multo ære, labore summo advehi curavit. Mitto porphyreticos lapides, parios, marmoreos, et lapideos, quibus incrustari Templi parietes, sternique solum voluit, nec non fulgenti auro, argentoque inclusas gemmas ad sacra Altaris vasa ornanda, tum ad Sanctorum continendas reliquias. De Bibliotheca vero, ex innumeris iisque antiquissimis manuscriptis codicibus referta, nil dicam. Taceo viros ex Hieronymiana familia religiosissimos, quos, non minus eleganti opere erecto Cœnobio, itidem ad divinas decantandas laudes, tum juvenum optimæ indolis Seminarium, nec non Collegium eorum, qui litteris sub doctissimis magistris ad id magno pretio conductis vacant, instituit. Nam si singula quæque persequamur, et in immensum volumen excresceret, et instituti nostri limites excederemus. Aliis hanc relinquimus provinciam, quorum erit, et hæc, et alias Philippi ingentes animi virtutes ex professo ad vivum exprimere. Nobis id summopere curandum, ut a Deo Optimo Maximo tanto Regi ad commune totius Christiani orbis commodum, atque utilitatem, diu vita, quam vivit felicem, fruatur, summis, assiduisque precibus impetremus.

Matriti XXIII. Septembris MDLXXXV.

AD-

(k) *Magnificum hocce ædificium cœptum est erigi, postquam Philippi exercitus ad Sanctum Quintinum Gallos vicit, fugavitque, virtute præcipue Caroli Emmanuelis de Sabaudia, ut supra dictum est, in cujus insignis victoriæ memoriam Oppidum, Regiam Domum, et Monasterium, quæ splendidissima sunt, et spectatorum oculos perstringunt, profusis divitiis Philippus fabricari jussit : ubi caram sibi delegit habitationem.*

ADNOTATIONES AUCTORIS.

1. Duxerat enim Joannes Catharinam Caroli V. sororem.

2. Pellicem hanc adeo perdite amavit Henricus, ut Catharinam uxorem multo cum dedecore repudiarit, fictisque nuptiis illam (erat autem ei nomen Anna Bolena) sibi adjunxerit (a). At justo Dei judicio paulo post (b) in adulterio deprehensa, ac publico supplicio affecta, Joannam Semiram, vivente adhuc Catharina, ducit contra jus fasque omne, ex qua Eduardum suscepit, qui et puer obiit, quo factum est, ut hereditario jure Maria Catharinæ filia in eo Regno succederet.

3. Nupsit Catharina Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci die XI. Martii MDLXXXV. Cæsaraugustæ, ubi celebratæ sunt nuptiæ.

4. Matriti XIV. Aprilis MDLXXVIII. natus est.

5.

(a) *Henricus VIII., qui adversus Lutherum scribens, a Leone X. insignem titulum* Defensoris fidei *obtinuerat, diu egit apud Clementem VII., ut divortii libellum obtineret. Causabatur vero Catharinam Aragonii fratris sui Arthuri viduam esse; propterea juxta Ecclesiasticas leges, quibus vetitum erat, levirum fratris uxorem ducere, contractas nuptias illegitimas esse, et proinde rescindendas. Qua in re nonnullos invenit sibi faventes Theologos, quorum vota Romam misit. Forte Clemens ejus desideriis adhæsisset, vel saltem, quæ in Generali Colloquio Anglorum gesta fuerant dissimulasset, nisi Philippi II. officiis, qui nepos Catharinæ erat, pressus, coactus fuisset Bullam anno* 1534. *promulgare, qua recte contractas inter Henricum, et Catharinam nuptias fuisse declaravit. Hoc lacessitus diplomate Henricus, schismate ab Ecclesia Romana recessit, egitque in posterum, ut supremum Ecclesiæ Anglicanæ Caput.*

(b) *Injurius Annæ Bolenæ Paternonius est, cum præfracte eam in adulterio deprehensam adserit. Vide Davidem Hume* (Histoire d'Angletterre contenant la maison de Tudor *T. II. chap. III. pag.* 270, *et seq.*) *qui caussam, ob quam Henrici erga eam amor friguerit, impia et occulta Vicecomitissæ de Rochefort Annæ Bolenæ gloris consilia, ut zelotypiam in Henrici animo excitaret, enarrat.*

5. Venerat autem sub Venetorum ditione Cyprus anno 1489. Duce Augustino Barbarigo, ob mortem Catharinæ Cornaræ. Hæc enim anno 16. post Jacobi Lusignani Regis, ac viri sui obitum Venetias conducta testamento Insulam ipsam Venetis legarat.

6. Moritur Joannes primo Octobris 1578. apud Nemur Flandriæ Urbem, dum contra Flandros fraterni exercitus ducem strenuissimum agit.

7. Obiit Sebastianus Maraci in Africa in bello, quod contra barbaros Reges susceperat (c) IV. Augusti mensis die anno MDLXXIX. Erat autem ille Philippo ex Joanna sorore nepos.

SE-

(c) *Bellum hoc improbavit Philippus.*

REGUM SERIES

ALIORUMQUE AD IPSOS PERTINENTIUM, QUORUM IN HOC OPERE MEMINIMUS, CUM TOPOGRAPHIA LOCORUM, IN QUIBUS VEL MORTUI, VEL SEPULTI SUNT.

Rogerius I. Meliti in Calabria in æde SS. Trinitatis ab eo extructa.
Simon Rex.
Rogerius II. Panormi.
Guillelmus I. in Monte Regali.
Guillelmus II. in Monte Regali.
Tancredus Panormi.
Rogerius III. (a) in Germania.
Henricus V. Cæsar, et Siciliæ Rex (b) Panormi (c).
Fridericus I. et Cæsar II. in Florentino Apuliæ oppido (d).
Constantia Friderici prædicti uxor Panormi.
Conradus in Italia (e).
Manfredus juxta flumen viride apud Beneventum sub dio (f).
Carolus I. apud Fogiam Aquilæ oppidum (g).
Petrus I. Barcinone.
Fridericus ejus filius II. Catanæ in æde majori.
Joannes ejus filius Randatii Dux ibidem in eodem sepulcro, quo Pater.
Guillelmus Athenarum, et Neopatriæ Dux Panormi in æde majori.

(a) *Corrige* Guillelmus.

(b) *Corrige VI.*

(c) *Dic* Messanæ mortuus, et Panormi sepultus.

(d) *Adde* et Panormi humatus.

(e) *Gavelli* in Provincia Basilicatæ.

(f) *Jussu Clementis IV. qui in cadaver Manfredi, quod ad pontem Beneventi sepultum fuerat, sæviens, Cussentio Episcopo præcepit, ut extra Romanæ Sedis ditionem illud sepeliri curaret.*

(g) *Viscera ejus apud Fogiam remansere, sed corpus Neapolim translatum est, et in templo maximo conditum.*

Jacobus Rex Barcinone.
Eleonora Friderici II. uxor Catanæ in æde majori.
Petrus II. in æde maxima.
Ludovicus Rex Catanæ in templo maximo.
Blascus Alagona ejus tutor Catanæ.
Fridericus III. Messanæ in æde Divo Francisco sacra.
Constantia ejus uxor Catanæ.
Maria Regina Catanæ.
Fridericus ejus filius puer Catanæ.
Martinus I. Mariæ Reginæ vir Callari in Sardinia in templo maximo.
Martinus II. Barcinone.
Ferdinandus I. in Aragonia.
Alphonsus I. Neapoli.
Joannes I. in Monasterio Populeti non longe a Barcinone.
Joanna ejus uxor Terraconæ.
Carolus ejus filius Barcinone.
Alphonsus II. Neapolis Rex Messanæ in æde maxima.
Ferdinandus II. Catholicus Granatæ.
Isabella ejus uxor ibidem.
Elisabetha ejus filia ibidem.
Carolus II. Cæsar V. in Scuriali oppido in Monasterio S. Laurentii (*h*).
Carolus ejus ex Philippo filio nepos ibidem.
Maria, Elisabetha, Anna Philippi uxores ibidem.
Ferdinandus, Diegusque Philippi filii ibidem.
Joannes Caroli Cæsaris filius ibidem.

AD-

(h) *Nondum erat Scuriale ædificatum, quando mortuus est Carolus V. obiit itaque Augustus hic in Monasterio S. Justi prope Vallemsoletum, ibique tumulatus fuit, quousque erecto S. Laurentii Cœnobio in Scuriali anno* 1573. *Regia pompa jussu Philippi Regis in novum hoc Templum ejus ossa translata sunt.*

ADDITIO AUCTORIS.

Notandum hic, quod cum hoc eodem, quo nos hæc scribimus, anno, nempe 1597. in animum induxerint Catanenses Friderici Sarcophagum in locum excelsiorem subrigere, quia impedimento esset Choro, quem ingenti sumptu atque eleganti opere ibidem extruunt, quinque intra illud inventos esse ligneos loculos, unumque ex his omnium minimum, nempe palmorum trium, et in singulis singula reclusa cadavera, quæ fuisse omnino Regia, nemo crediderim sanæ mentis in dubium revocaverit. Non enim fuissent ausi in Regio sepulcro alios includere, qui Regio sanguine sati non essent. Fuisset enim peccatum grande, ac temeritas capite plectenda. Ceterum cum scriptores omnes dicant Friderici uxorem, Constantiam Friderici III. uxorem, nec non Fridericum septennem puerum Reginæ Mariæ filium Catanæ in eodem, quo Fridericus, Templo conditos esse, verosimillimum est quinque hosce omnes eodem sepulcro servatos. Præsertim cum aliud ab hoc (illo tantum Reginæ Mariæ excepto) eo in Templo Regium sepulcrum non inveniatur. Adde quod loculus ille palmorum trium clarissime indicat alium non esse, quam Friderici septennis filii Martini I. et Mariæ. Nisi quis in sepulcro illo et quidem magnitudinis exiguæ, quod in sublimi loco in ejusdem Ecclesiæ pariete, qui ad septentrionem vergit, inter duas marmoreas januas situm est, et in quo fama est Regium puerulum contineri, hunc de quo loquimur, esse affirmet. Ac quærendum tunc esset, quis ille sit, qui in hoc loco intra Friderici sepulcrum nuper invento jacet. Verum quisquis ille sit, non possum illius sæculi hominum negligentiam dissimulare, quod rem tanti ponderis tam obscure ad posteros transmiserint (*a*).

(a) *Hæc adnotatio, ut initio admonuimus, posteriori tempore apposita est, postquam Paternonius opusculum, quod edidimus, Matriti compleverat, quod constat ex nota chronologica anni* 1597. *Redierat nempe, ut notavimus in Siciliam auctor, cumque post annos duodecim a scripto opusculo Catinæ Sarcophagum, de quo agit, fuerit apertum, in eoque quinque*

Opusculi hujus auctorem latuit Martino I. Blancam Reginam filium peperisse, quem Petrum illa vocavit, quique adhuc infans fato cedens in maxima Catanensi æde fuit conditus. Aut ergo sepulcrum illud septentrionalis parietis dicendum est Infantis hujus, aut Friderici septennis pueri, et loculus consequenter in Friderici tumulo inventus, aut unius, aut alterius (*b*).

---

que conditoria fuerint detecta, visum est ei factum hoc enarrare, et qui in illis loculis conditi essent indicare.

(b) *Postremam hanc adnotatiunculam, quæ certe Paternonii non est, cum ejus judicium refellat, additam remur a Clarissimo Viro Vito de Amico, cujus manu exemplar, quod in nostris pluteis exstat, transcriptum diximus, cui placuit quod Paternonium latuerat, Lectores admonere.*

SUPPLEMENTUM

AD OPUSCULUM FERDINANDI PATERNONII

DE SICANIS REGIBUS

AB HIS, QUÆ SUPERERANT DICENDA DE PHILIPPO II. HISPANIARUM, ET SICILIÆ REGE AD CAROLUM II. POSTREMUM AUSTRIACÆ FAMILIÆ

AUCTORE

JOANNE EVANGELISTA DE BLASIO, ET GAMBACURTA

ABBATE CASINENSI, ET REGIÓ HISTORIOGRAPHO.

SUPPLENTIS MONITUM.

Paternonii opusculum de Sicanis Regibus, quod nos supplendum decrevimus in serie Principum Austriacorum, et augendum in his, quæ respiciunt Reges, qui usque ad Ferdinandum III. Borbonium Siciliam moderati sunt, desinit anno 1585. *vivente adhuc Philippo I., quem Hispani II. nominant, tametsi anno deinde* 1597., *ut tunc observavimus, aliam subnexuerit adnotationem de Sarcophago Catinæ detecto, in quo plurium Principum ossa adservabantur. Periculosæ sane res plena aleæ est de supremis personis quibuscumque, et de propriis præcipue Regibus, dum supersunt, eloqui; nec puto hunc Auctorem, qui de Philippo scribere ausus est ab adulationis nota fuisse apud ipsos quoque suæ ætatis homines immunem. Si forte hoc negotium nepotibus integre pertractandum reliquisset, immaculatus, et ab omni assentationis censura vacuus historicos inter incessisset. Nos liberiores in scribendo erimus, et de eo certi, quod poeta cecinerat,*

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit,
Tunc suus ex meritis quemque tuetur honos.

præter ea, quæ in adnotantiunculis ad Philippum observavimus, in ceteris, quæ dicenda erunt, ejus merita pensabimus, non qualia eo vivente exaggerata a nonnullis fuere, sed qualia eo jam defuncto a posteris æqui bo-


nique

nique æstimatoribus reputata sunt, quam legem pari ratione in describendis ceterorum Principum qua Austriacorum, qua Borbonicorum vitis nobis scrupulose servandam imposuimus. Priusquam vero reliqua Philippi I. facta delibemus, placet arborem genealogicam hujus Auctoris, quæ manca erat, ut quæ a Carolo V., qui primus inter Siculos hujus nominis Reges fuit, incipiens, ad Philippum desinit, complere usque ad Carolum II. quo stirps Austriaca Hispanica defecit; et ut Lectores noscerent, quemadmodum Hispanica, et Sicula Regna a Castellanis Principibus ad Austriacos pervenerint, exordium non ab ipso Carolo V. ut Paternonius fecerat, sed a Joanna ejus matre Ferdinandi II. herede sumendum esse statuimus. Hæc breviter monenda duximus.

DE

enim ab Hispanis per irrisionem vocabantur, qui pr[illegible] ... [illegible]ri fue-
rant) omne genus scelerum ea ipsa in Ecclesia, et p[illegible] ... [illegible]mmise-
runt,

STIRPE EXORTORUM



DE

DE PHILIPPO

I. SICILIÆ, ET II. HISPANIARUM RELIQUA, QUÆ DICENDA SUPERSUNT.

AB anno 1585. quo de rebus gestis Philippi I. scribere desiit Ferdinandus Paternonius, usque ad annum 1598. quo Rex iste diem ultimum obivit, tredecim fluxere anni; quod sane temporis spatium supplendum hoc Auctario a nobis est, ubi et facta hujus Principis describemus, quæque de ejus vitiis, aut virtutibus protulerint scriptores judicia, quidque, sublato omni partium studio, dicendum de eo sit, indicabimus; ut in monito promisimus.

Quamquam Philippus ditissimus omnes inter Europæos Principes esset, cum opulentæ Indiarum, qua Orientalium, qua Occidentalium fodinæ ingentes auri argentique summas suppeditarent: bella nihilominus, quæ toto ferme vitæ suæ spatio, sive adversus Gallos, sive adversus Mauros, et Turcas, sive adversus Lusitanos, sed præcipue illud, quo vexatus fuit ab anno 1565. usque ad annum 1582. a Belgis est, sustinere necessum fuit (1), adeo Regium depauperarunt æra-

(1) *Moleste tulerant Princeps de Oranges, et Comes de Egmont, qui primores in Belgio erant, ejus Provinciæ gubernationem, quam uterque adipisci sperabat, Margaritæ Philippi sorori Alexandro Mediceo nuptæ, eique nothæ, fuisse concreditum anno* 1559., *cæpitque eorum animus aliorumque Belgarum ab Hispanico jugo abhorrere. Cum vero anno* 1562. *hæc Gubernatrix Philippi edictum adversus hæreticos sub atrocissimis pœnis publicaverit, atque ejus exsecutionem severissime exigeret, excitati statim tumultus sunt, quibus in dies crebescentibus, in manifestam seditionem Belgæ omnes, ducibus Comitibus de Nassau, et de Colembourg, eruperunt, cum maxime Fidei Quæsitores crudelem persecutionem in eos etiam, qui non suspecti de hæresi erant, exercuerint. Philippus, qui raro inflectebatur, primo durius in contumaces egit, sed deinde damnum recogitans, Fidei Quæsitores revocavit. Sero tamen medelam morbo attulit; Belgæ enim obstinatiores facti, die* 21. *Augusti armis stipati Templum princeps Antuerpiæ ingressi, conclamantesque*, Vivant Mendici, (*ita enim ab Hispanis per irrisionem vocabantur, qui primo tumultuati fuerant*) *omne genus scelerum ea ipsa in Ecclesia, et per urbem commiserunt,*

ærarium, ut oportuerit frequentes, easque haud leves a suis subditis petere contributiones. Notæ sunt largitiones a Regni Siciliæ Ordinibus in Generalibus Colloquiis Regi factæ, quæ apud Mongitorium prostant (a). Fulcimentum Belgæ in Anglorum Regina Elisabeth invenerunt, quæ cum hæresi infecta esset, sui muneris esse duxit, Hollandiæ Rempublicam, quæ sub prætextu Religionis a Philippo vexabatur, defendere. Sed præter communia dogmata, aliud erat, quo ad ferendum Philippo bellum Angli incitabantur. Angebat eos immodica hujus Regis potentia, quæ auro, et argento per Indias subministrata in dies augebatur, eumque sensim ad universalem Μοναρχίαν evehebat. Quapropter Elisabeth, quamvis oblatum Hollandiæ principatum recusaverit, fœdus nihilominus cum Belgis iniit, in eo-

---

runt, ut jam tum Belgium civici, et cruenti belli theatrum evaserit. Ut eos compesceret Philippus, Albæ Ducem, hominem omnium crudelissimum, cum copiis designavit, qui tantum abfuit a continendis in officio Belgis, ut eorum etiam, qui a Rege adhuc non desciverant, corda sua severitate ad seditionem compulerit. Cum vero Aloysius de Requesens, Philippo jubente, Belgii habenas teneret, hujus prudentia perturbati spiritus pene ad requiem redacti fuerant; sed hoc mortuo anno 1574. *iterum rumores excitati sunt. Suffectus in Requesenii locum Joannes Austriacus, Philippi frater, studuit ad obedientiam defectores perducere, perperam tamen; difficile enim est eos, qui suaviter jam a libertate illecti sunt, jugo noviter submittere, quorum animos Guillelmus de Nassau, qui primas eos inter obtinuerat, quique, turbata publica re, sperabat se facile Belgio potiturum, ad Hispanica vincula frangenda incitabat. Ea propter Joannes bello eosdem petivit, et anno* 1578., *cadente jam Januario, manus cum rebellibus conserens prope Geminiacum insignem obtinuit victoriam, qua sex mille eorum mactati sunt. Tandem Belgæ anno* 1581. *die* 26. *Julii in unum congregati Hispani Regis dominio nuncium miserunt, seque liberos declararunt, quo facto Philippi statuæ a fundamentis prostratæ sunt, regiumque sigillum fractum est. Hoc fuit Reipublicæ Hollandensis initium, quæ quamvis diu vexata a Philippo II. ejusque filio fuerit, adquisitam nihilominus libertatem semper retinuit, quousque Philippus III., ut suo loco dicetur, eas Provincias independentes, et liberas agnovit.*

(a) Parlamenti Generali *ab anno* 1557. *ad an.* 1597. *T.* 1. *pag.* 298. *ad* 424.

eorum subsidium V. millia peditatus, et mille equitatus promittens, et interim Classim parari jussit viginti bellicarum navium, quas voluit, constituto Francisco Drakio ejus classis præfecto; ut ad Indias occidentales profectæ ditiones Hispanas aggrederentur (b).

Quæ statuta anno 1586. adversum se in Anglia fuerant, haud ignoravit Philippus, qui rei suæ consulens, totis nisibus copias, navesque, quotquot potuit, collegit, eo animo, ut Regnum Angliæ aggrederetur, et si fieri posset Elisabetham Hæreticorum fautricem solio exturbaret, ad quod etiam a Xisto V. Pontifice Maximo incitabatur. Insequenti anno 1587. Ulissypone congregata navigia visa sunt, quorum numerus centum sexaginta fuisse fertur. Siciliæ Regnum, præter Triremes, annonam omnem subministravit, quæ alendis tot militibus, et nautis necessaria erat (c). Sed Philippi consilium periit, nam cum mense Junio anni 1588. immensa hæc classis in eo portu jam præparata vela dedisset, et Angliam versus properasset, sequenti a profectione die exorta procella est, et necesse gubernatoribus fuit Corunium, ne perirent, dispersas naves ducere; his vero paucos post dies instauratis, iter denuo classis arripuit, et secundis avibus sese contra naves Anglicanas præsentem stitit. Præfectus Hispanæ classis erat Dux Medinæsidoniæ (Marchio enim Sanctæ Crucis, et Palliani Dux, quibus fuerat ejus præfectura concredita, antequam naves proficiscerentur, violenta febre prostremum Ulissypone obierant diem). Hic vero, vel quod timeret; in re enim bellica, ut fertur, parum valebat, sive quod in mandatis non habuerit classicum canere, postquam micantem, et frequentissimam classem inimico ostendit, terga vertit in Hispaniam rediturus. Sagax Drakius oblatam a fortuna occasionem non spernens fugientes veluti Hispanos insecutus est. Huic malo aliud gravius supervenit; nam suborta inopinato alia tempestate, furente Oceano navigia hac illac dispersa partim vorata ab undis fuere, partim in manus hostium cecidere, partim in Scoticis Hibernicisque scopulis fractæ sunt, paucæque, quæ ad Hispaniæ littora confugerant, conquassatæ adeo pervenerunt, ut aptæ nauticis itineribus amplius non essent.

Hic fuit paratarum a Philippo navalium copiarum exitus, quo Hi-

 spa-

(b) *David Hume Histoire d'Angleterre de la Maison de Tudor T. V. pag. 254. et seq.*

(c) *Longo in Chron. Sic. apud Maurolycum pag. 256.*

spania omnis, et Sicilia in luctum cecidit, cum tot perierint utriusque nationis præclari milites. Interim Siciliæ Insula annonæ penuria per plures annos laboravit, quo ab infortunio evasit cura, et studio Comitis de Olivares Viceregis, philosophi ad regendos populos vere nati (2), cui quando ullum Sicilia inveniet parem?

Ad hæc accessit haud levis de classe Turcica timor, tulerat enim fama Amurattem III. Constantinopolitanum Principem, postquam cum Persarum Rege pacem inierat, arma adversus Rodulphum occidentis Imperatorem movisse, et in Hungariam cum potenti exercitu penetrasse; ne vero Rodulphus a Philippo, cui sanguine erat conjunctus, auxilia obtineret, classem instruxisse, quam in Regna utriusque Siciliæ destinarat, ut Philippus domi impetitus nequiret suppetias cognato adferre. Comes propterea de Olivares, ut Siciliæ securitati provideret, jussit littora ejus ubique diligenter custodiri, atque Dynastis omnibus præscripsit, ut parati ad *servitium*, ut ajunt, *militare* exercendum essent.

Quamvis Amurattis navales copiæ anno 1593. expeditæ jam essent, non apparuere nihilominus in Mari Siculo, nisi insequenti anno 1594. Erat earum Præfectus Sinanus Siculus (3) secum ducens centum circiter bellicas naves, qui postquam per mare Thuscum, et Melitense navigasset, Septembri ineunte mense prope Messanam visus est. Hic cum anchoras e regione hujus urbis in eo Calabriæ sinu, qui vulgo *fossa S. Joannis* nominatur, projecisset, Co-

(2) *Henricum de Gusman Comitem de Olivares ferunt ejus ævi historici vastissimæ eruditionis fuisse hominem, qui regimini cotidie intentus cuncta meditabatur, quæ populorum felicitati inservirent. Pauca, paucisque verbis jubebat, sed in his, quæ post longam meditationem jusserat, adeo constans erat, ut nulla ratione removeri posset, officiosos comites non admittebat, et adulatorum genus aspernabatur, odioque habebat; quæ vir iste virtutibus ornatus brevi duorum annorum circiter curriculo egerit, vide apud Nostrates.*

(3) *Fuit hic Messanensis, scilicet Scipio Cicala, qui a Dragutte captus, cum a Catholica Religione descivisset, recutitus, Mahometi sectæ nomen dedit, et ad supremos apud Turcas honores evectus est; nam primo Babyloniæ Gubernator electus est, deinde renunciatus Princeps militum (* Agà *) qui* Jenicceri *sive* Janisseri *nuncupantur, tandemque ad supremam classium præfecturam elatus fuit.*

Comitatum circum extantem vastavit, dexstruxit, flammisque consumpsit, Rhegium deinde properans, quam habitatoribus vacuam reperit, domos, et Templa depopulatus, cum non posset in vivos, qui aberant, sævire, sæviit in mortuos, quorum cadavera, et ossa igne cremavit. Vix dici potest, quanta formidine capti fuerint Siculi, Sinami crudelitatem propriis intuentes oculis, nec desitum Messanæ, et in vicinis littoribus est, machinas bellicas, et milites ad hostem expellendum præparari; sed sive quod Sinamus periculi plenam reputaverit Insulæ nostræ aggressionem, sive alia ejus animum commoverit ratio, id certum est, classem, cui præerat, postquam quatuor diebus ibidem morata est, recessisse, et secundis ventis Constantinopolim rediisse. Postquam Sinamus excesserat, venit Messanam Princeps de Auria classis Hispaniæ Præfectus octo et quinquaginta Triremes secum ferens, quem Comes de Olivares, imminens damnum præsentiens, Genua advocaverat, qui cum invenisset Sinamum recessisse, et ipse Genuam regressus est.

Dum hæc in Sicilia agerentur, Philippus bellis occupabatur non modo adversus Belgas, quos, quoad vixit, assidue vexavit, modo victor, modoque victus, sed adversus etiam Galliarum, et Navarræ Regem Henricum IV. Hic, quem Gallia velut perfectum Principem honorabat, quemque ob insignia ejus gesta historiæ omnes concelebrarunt, Calvini erroribus infectus, ejus sectæ fautoribus, qui apud Gallos *Ugonotti* vulgo nuncupabantur, patrocinabatur. Cum vero mortuo Henrico III. armis contra eos, qui fœdus sacrum inierant, pugnans, Regnum Galliarum conquisivisset, anno 1593. die 25. Julii Calvinianam hæresim detestatus est, et in Ecclesia S. Dionysii Parisiis Catholicam amplexus fidem, fuit a censuris absolutus. Restabat, ut Clemens VIII. Romanus Pontifex profugum hunc filium amplecteretur, ob eamque rem misit ipse Ducem de Nevers Legatum, ut obtentæ absolutionis confirmationem a Clemente impetraret. Sed obstabat Philippus, qui alias ob causas, easque mundanas, sacro fœderi accesserat, cujus opera factum est, ut Clemens, qui ab ore ejus pendebat, Henrici preces respuerit. Gallus Rex cum nosceret Papæ recusationem a Philippi voluntate proficisci, bellum anno 1595. eidem indixit. Postquam incerto marte pugnatum fuit, Pontifice tandem absolutionem Henrico impertiente, sociisque fœderis cum eodem Rege paciscentibus, coactus tandem Philippus est inducias cum eodem statuere. Elapso induciarum spatio, ad arma reditum est, quousque instante Pontifice, agenteque

Bo-

Bonaventura Secusio Ordinis Minorum Generali (4) pax inita est die secunda Maji anni 1598.

Erat jam ætate provectus Philippus, cum septuagesimum primum ætatis annum complesset, et ita corpore infirmus, ut stare amplius minime posset. Quamobrem sibi mortem imminere sentiens, statim ac cum Henrico Francorum Rege pacem tandiu exoptatam conclusit, Regna Philippo filio cessit, et servorum humeris delatus ad Scurialim Monasterium, magnis sumptibus a se erectum, venit. Ibi sordido morbo affectus fuit, quem pedicularem Medici, et Græci φθειρίασιν vocant, summa patientia intolerabiles verminum illorum aculeos substinuit, et tandem Idibus Septembris anni 1598. mortuus est.

De quatuor, quas duxerat Philippus uxores, non est opus verba fari, cum satis eas enumeraverit Paternonius, nec esset cur de Regis hujus meritis loqueremur, si is ea referens a partium studiis fuisset alienus. Forte nemo Regum fuit, de quo pugnantia adeo frontibus adversis homines cogitaverint. Si Hispanos audias, non fuit et ne erit quidem Princeps, qui sit virtutibus cum Philippo comparandus; sed si Gallos, Hollandos, et eos præcipue, qui de Protestantium grege erant, consulas, nullum me quidem judice crimen est, cujus reum hunc Principem non faciant. Eundem enim accusant sub obtentu Religionis, et introducto apud Belgas sævo Quæsitorum Tribunali, quotquot sibi inimici erant, propriæ ultioni immolasse; criminantur injuste Lusitanum Regnum invasisse, filium Carolum, Reginamque Elisabetham hujus novercam diræ zelotypiæ sacrificasse, dissidia in Gallia, ut suis serviret commodis, excitasse, et fovisse adversus Henricum IV., atque modis omnibus curasse, ne Clemens Pontifex hunc tam insignem Principem, qui Calvini erroribus nuntium miserat, in Ecclesiæ sinum reciperet, bonis omnibus lugentibus, et de iniqua hac agendi ratione graviter offensis. Joannem quoque Austriacum ejus fratrem spurium, virum undique virtutibus ornatum, et in re militari peritissimum, veneno extinxisse

(4) *Cum Legati a Clemente selecti, Cardinalis nempe Alexander Mediceus, et Apostolicus Nuntius Parisiis residens, nihil egerint, ut Reges inimicos reconciliarent, Bonaventuram Pontifex in Galliam misit, cujus operibus factum est, ut pacem inirent. Secusius autem Siculus erat, Calatahironi natus.*

se ferunt, quod ornamentis ipsius animi invideret, et vereretur, ne Reginæ Elisabethæ nuberet; aliaque comminiscuntur, a quibus brevitatis amore abstinemus. In tanta studiorum diversitate forte rem acu tetigere Monachi Congregationis S. Mauri, qui hoc de Philippo tulere judicium (*h*): Utraque pars, inquiunt, res amplificat. Philippus singularibus virtutibus, singularia conjunxit vitia. Augustum, cum artes scientiasque promovit, imitatus est, Tiberio fuit similis in re politica, Vespasianum in perferendis laboribus æmulatus est, æque ambitiosus, ut Carolus ejus pater, fuit; ambo enim ad totius Mundi Μοναρχίαν adsequendam totis viribus intendebant; quod vero peculiare Philippi oruamentum erat, et in quo neminem parem habuit, fuit equidem summa patientia, animique in adversis tranquillitas. Inter ea, quæ ad scientias amplificandas, ab eo gesta referuntur, memoratu digna est celebris Sacrorum Bibliorum editio, quam Antuerpiæ anno 1562. fieri jussit, quæque post quindecim annos lucem publicam vidit; et quod ad Siciliam pertinet, Universitas Scientiarum, quæ Messanæ anno 1596. erecta est, Catinensibus perperam reclamantibus, quamvis ejusmodi privilegium plurimi Messanensibus valuerit; illud enim nonnisi oblatis sexcentum mille aureis obtinuerunt.

DE

(h) *Art. de verifier les dates Chron. Hist. de Rois d' Espagne pag.* 822.

DE PHILIPPO

II. SICILIÆ REGE, APUD HISPANOS III.

CUm Regnorum Hispaniarum, et Siciliensium recusationem a Philippo I. factam, ejus mors paucis post diebus subsecuta fuerit, eodem ferme momento utriusque rei nuncius ad Siculorum aures pervenit, qui statim justa mortuo Regi persolverunt, novumque Principem consueta pompa conclamarunt. Regno præerat Bernardinus de Cardines Macquedæ Dux, qui ut Siciliam a Turcarum, quæ timebantur, invasionibus tueretur, Messanæ inhabitabat. Decimoseptimo Septembris die ejusdem anni 1598. comparuit Ottomanna Classis, licet non frequens, ut olim, quadraginta enim tantum triremibus constabat: Sinamus ejus præfectus, ut antecedente anno, eodem loco consedit, videlicet in Sancti Joannis fovea, nec ullum dedit hostilis animi signum. Unde factum est, ut nihilum Messanenses trepidaverint, immo vero audaces facti cymbis ad nauticas Mahometanas copias appropinquarint. Diu Sinamus, nullum adferens damnum, ibidem stetit, filiumque Tunesum versus ad Mauros frenandos misit, postque versis proris Constantinopolim petiit (1).

Statim ac Regnorum habenas suscepit Philippus, de uxore ducenda cogitavit, nondum enim nupserat, tametsi vicesimum jam attigis-

---

(1) *Vivebant Messanæ Sinami mater, et fratres. Dum ergo is in Fovea S. Joannis filii reditum exspectans moraretur, eos salutandi desiderio captus, vinctum, quem habebat, Hispanum ad Proregem misit, rogans ut sibi liceret suos invisere. Macquedæ Dux, cum Sinamus nihil hostiliter adversus Siculos egerit, votis ejus obsecundavit, præcepitque, ut triremes Regiæ non modo genitricem, et germanos, sed etiam sororem, et nepotes ad latus prætoriæ navis Sinami ducerentur. Ita factum est; materque, et conjuncti tota die cum Scipione Cicala morati sunt, cum quo, et more turcico pransi sunt, receptisque ab eo donis ad triremes Regias occidente Sole restituti Messanam remearunt. Hujus rei certum testem damus Josephum Bonfilium (Hist. Sic. P. II. lib. V. pag. 683.) qui synchronus auctor fuit, atque Messanæ, dum hæc agerentur, erat.*

nisset annum, elegitque Margaritam Austriacam Caroli Archiducis de Glatz filiam, quam Princeps de Auria classis Hispanicæ Præfectus cum duabus et quadraginta triremibus ad virum comitatus erat. Cum Matriti festa celebrarentur, ad Regium solium Siculorum querimoniæ pervenerunt, qui extinctum ferme jam esse commercium conquerebantur, quod Mauritani Cæsarei frequentibus per mediterraneum mare excursionibus naves diriperent, nautasque in servitutem redigerent. Ut igitur Rex suorum securitati provideret, jussit, citissime Principem de Auria Siciliam cum classe petere, ut Mauritanum Regnum invaderet, eamque ob rem Pontificem, Genuenses, Ducesque Etruriæ, et Sabaudiæ rogavit, ut suas triremes Messanam mitterent, quo ab universis publico bono prospiceretur. Præcepit præterea, ut Viceregès Siciliæ, et Neapolis suppetias Præfecto classis adferrent, regiasque triremes Neapolitanas, et Siculas Hispania conjungerent; atque in auxilium Milites etiam S. Joannis Hierosolymitani Melitæ degentes vocavit (2). Cum cuncta Messanæ parata jam essent; Princeps de Auria coadunatam classem Drepanum misit, ipse vero Panormum cum trireme petiit, ut cum Prorege colloqueretur, pervenitque die 27. Julii anno 1600. Paucarum horarum spatio ibidem moratus navim conscendit (3), et Drepanum versus navigavit, ad cujus portum cum appulisset, facta illico exercitus recensione vela Sardiniam versus dedit, et deinde ad Portum Magonem perrexit; eo cum egrederetur, ut in Mauritanum Regnum pertingeret, ex improviso gravis procella exorta est, quæ classem dissipavit, triremesque complures in scopulos, ubi fractæ sunt, projecit. Cessante tempestate undisque tranquillatis, novit de Auria classem adeo quassatam esse, ut imprudens esset consilium rem tam difficilem in procelloso Mauritano mari non restauratis navibus, aggredi; quam ob rem expeditionem hanc suo tempore faciendam ratus, commeatum alienis triremibus concessit.

Quamvis vero Philippus pacem cum Gallorum Rege a Patre ini-

C c tam

(2) *Ad hanc expeditionem venit etiam Rainucius Farnesius Parmæ Dux, velut voluntarius miles, cujus exemplum secuti sunt complures alii Itali nobilitate, et virtute conspicui.*

(3) *Secum duxit Macqueda Ducis primogenitum, qui voluit ad bellum contra Mauritanos proficisci.*

tam servaret, bellum nihilominus in Belgio, Anglis opitulantibus, perstabat (4). Potitus quidem Ostenda est, sed in obsidione ejus, quæ triennio perduravit, præter immensos, quos absumpsit, thesauros, sacrificavit plusquam octoginta millia Militum: quæ res ærarium Regium ad angustias redegit, Hispanasque regiones civibus viduavit. Tandem anno 1609. induciæ cum Belgis per duodecim annos statutæ sunt, ipseque Philippus, Albertusque Archidux Austriæ, cui ob initum cum Isabella Clara Regis Iberi sorore conjugium ceteræ civitates Belgii, quæ a fide non desciverant, dotis loco remanserant, con-

(4) *His temporibus res accidit Panormi notatu digna, cum Tribunal Magnæ Curiæ extorrem miserit Marianum Alliata de homicidio suspectum, Inquisitionis fidei familiarem: Quæsitores jura sua læsa reputantes Judices monuere, ut sententia exilii deleta, acta ad eorum Curiam mitterent, quos, cum recussassent, excommunicatione mulctarunt. Moderabatur tunc Siciliam Feriæ Dux, qui ægre ferens Supremum Regis Tribunal tam levi ex causa censuris affici; Quæsitores primo monuit, ut latum anathema revocarent, hisque detrectantibus, ab Archiepiscopo Panormitano obtinuit, ut ab injusta excommunicatione Judices absolverentur. Furentes ob id Quæsitores ausi sunt Pontificem ipsum Panormitanum Didacum de Hædo eadem censura castigare, minarique interdictum per universam diœcesim, nisi resipisceret, datamque absolutionem nullam, et cassam declararet. Timentes vero ne Archiepiscopus contra hæc acta protestaretur, neve Dux Feriæ vi eos adigeret, clausis Palatii Inquisitionis Januis, armatisque singulis familiaribus se se ad defensionem præpararunt. Paucis: Vicerex copias ad millium numerum cum carnifice eum ad locum misit, præcipiens, ut quotquot resisterent furcis statim suspenderentur. Militum præsentia perterriti Quæsitores primo Vexillum S. Officii cum Christi Cruci affixi imagine erexerunt, deinde cum viderent copias adversus eos progredi, e fenestris complurima chirographa projecerunt, in quibus anathema in milites, eosve, qui eisdem auxilium afferrent, perscriptum erat: sed laterem laverunt: eo res devenit, ut missi pedites instrumentis portam extollentes in terram projecerint, sibique aditum aperuerint. Sive fugerint universi, ut nonnullis arrisit, sive Quæsitores, quod aliis placuit, pro Tribunali sedentes Archiepiscopi responsum receperint, res delata ad Regem est, qui pragmatica lege dissidia composuit, limitesque nimiæ Quæsitorum auctoritati constituit.*

coacti sunt Provincias Hollandiæ tamquam liberas, et sui juris agnoscere. Quod vero hoc regnante Principe habitatoribus præcipue Hispanas ditiones orbavit, fuit equidem edictum anni ejusdem undecimo Septembris die promulgatum, quo jussi sunt Mauri omnes in Regno Valentiæ immorantes e finibus ejus egredi, quod vicesimo Januarii sequentis anni 1610. ad universos per reliquam Hispaniam dispersos Mauros extensum est, et severissime observatum. Quantum vero hoc edicto in re politica Philippus cespitaverit, vel inde facile commostratur, quod brevi decies centena millia hominum, eorumque agricolarum, industriorum, artibusque, et commercio addictorum Hispaniam deseruere, atque Asiam, et Africam profecti provincias illas ditarunt. Lacrimabilis certe res erat per Hispanias excurrentibus integras pervadere Regiones habitatoribus destitutas. Hoc vero politicum crimen potius, quam Philippo II. tribuendum censemus Duci de Lerma præcipuo ejus Administro, cujus arbitrio Princeps imbecillis, ut persæpe evenit, Regni gubernacula moderanda reliquerat. Sæpe autem ejusmodi Regum familiares tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant: Dux de Lerma, (quam ob rem ignoratur) in odium Philippi venit anno 1618., et Regiam reliquit, pauloque post Galero Cardinalium insignitus apparuit, quem sibi procuraverat, ut ab inimicorum insidiis facile caveret. Quod tamen mirum est, in ejus locum Uxedæ Dux hujus filius suffectus est, quo rem administrante Hispania nec ditior, nec felicior fuit.

Sed et in Regno Siciliæ sub hoc Rege alia evenerunt, quæ non sunt silentio prætereunda; summa nempe annonæ caritas, quæ non tam ex defectu ubertatis, quam ex frequentibus classibus, quæ in Insula, ut Turcarum conatibus opponerentur, morabantur, quarum sustentationi erat consulendum; item adesarum monetarum introductio ab improbis facta, quæ regiminis curas omnes ad eas recudendas traxit; ad hæc dissidia Panormitanos inter, et Messanenses caussa monetariæ officinæ suscitata, quam primi Panormi ob ingentem necessitatem erigi postulabant, secundi vero obstabant, ne erigeretur, rati sic vulnerari privilegium, quo ab ævo fruebantur (5). Tandem ut

(5) *Moderabatur Siciliam Villenæ Dux, qui Panormitanos amabat, et propterea iis obsecundare studebat, duasque fieri officinas proposuit alteram Panormi, Messanæ alteram: sed Messanensibus sua lædi jura con-*

ut cetera mittamus, pragmatica sanctio anno 1610. promulgata, qua inhibitum fuit, ne quis Tomum IX. Annalium Cardinalis Baronii emeret, venderetve, sub multa quingentum aureorum, si semel; si iterum, mille aureorum, et pœna exilii ad decem annos pro iis, qui optimæ conditionis essent, et damnationis ad triremes, si ignobiles fuissent (6).

Mortuus Philippus est 11. Kalendas Aprilis anni 1621. cum tres et quadraginta annos nondum attigisset. Victima is fuit Hispanæ superbiæ. Convaluerat e gravi morbo Rex, et cum de rebus agendis adhibitis consilio ministris in conclavi, ubi ad arcendum frigus focus erat prunis scatens, tractaret, conquestus est de nimia ignis violentia, quam sibi nocere arbitrabatur: sed aberat verna, qui focum removere posset, nec quisquam consiliariorum vile illud officium exercere voluit, reputans id avitam nobilitatem offendere. Coactus igitur Rex est vim prunarum pati; unde factum, ut in morbum recideret, quo paulo post peremtus interiit. Complures Margarita de Austria, quæ anno 1611. defuncta fato erat, ei pepererat filios, Philippum primogenitum, de quo mox dicemus, Carolum, qui anno 1632. obiit, Ferdinandum, qui fuit Archiepiscopus Toletanus, diemque ultimum clausit anno 1641., et Alphonsum, qui antequam annum

---

conclamantibus, delata ad Regem res est, apud quem, sive potius ejus administrum Ducem de Lerma cum plurimum valuissent Messanenses, præter voluntatem Marchionis de Villena, qui pro Panormitanis scripserat, obtinuerunt sartum tectum servari eorum cudendi solum Messanæ nummos privilegium, jussumque est, si urgens necessitas aliam alibi erigi officinam postularet, non Panormi, sed ubi Messanensibus visum fuerit, ædificari.

(6) *Baronius Ecclesiæ annales conscribens ad annum decimum Pontificatus Urbani II., et Christianæ Æræ millesimum nonagesimum septimum pertigens de Legati a latere privilegio ab Pontifice Rogerio Comiti, ejusque successoribus concesso egit, atque bullam, quam Gotefridus Malaterra affert, fictam fuisse, et hujus Biographi operi assutam contendit, risu, cachinnisque, quam ostentabant Monarchicæ legationis auctoritatem excipiens. Quod adeo Philippi II. animum irritavit, ut Tomum IX. in quo hæc continebantur, subditorum Hispaniæ manibus versari vetuerit.*

num compleret extinctus est; tresque filias, Annam videlicet Mariam Mauritiam, quæ Ludovico XIII. Gallorum Regi nupsit, Mariam Annam, quæ cum Ferdinando III. Augusto matrimonio copulata fuit, et Margaritam quæ septennis e vita excessit. Fuit Philippus pietati deditus, verum ad regendos populos minime aptus, qui propterea ab ejus ministris cotidie vexabantur. Propterea factum est, ut Hispana Monarchia ab eo nitore, et majestate exciderit, quam sub Augusto Carolo, ejusque filio Philippo I. præ se tulerat.

DE PHILIPPO

III. SICILIÆ REGE, ET IV. HISPANIARUM.

FAtis cedente Philippo II. Regnorum Hispaniæ diademate ornatus est Philippus ejus filius, adolescens annorum sedecim; natus enim erat octavo Aprilis anni 1605., qui licet esset ingenio ornatus, Patrem nihilominus imitatus, rerum gerendarum administrationem omnem Comiti de Olivares (qui cœpit Comes Dux nuncupari) commisit. Cum sub Regni initia induciarum tempus cum Hollandis pactarum exspirasset, iterum ad arma conclamatum est, quæ feliciora quam Patri, virtute Ambrosii Spinolæ Genuensis, huic regi fuere. Moderabatur ea tempestate Siciliam, post pii Comitis de Castro recessum, Serenissimus Emmanuel Philibertus de Sabaudia, Regi ipsi sanguine conjunctus, Princeps optimus, rei bellicæ peritissimus, ad regendos populos idoneus, artiumque, et scientiarum eximius fautor, sed meliore fato dignus, quem florenti ætate dira pestilentia (1) anno 1623. eripuit, qua grassante non modo caput Regni Panor-

(1) *Introducta lues in Regnum fuit per Myoparonem, qui ab Africa, et potissimum Thinissæ Regno egressus, quosdam christianos, qui a servitute Maurorum redempti fuerant, in Siciliam ferebat. Appulit autem hæc navis Drepanum, ubi Senatores, qui* deputationi, *quam vocant,* salutis *præsunt, cum scirent Tunesinas Regiones peste esse infectas, vetuere, ne nautæ cum civibus conversarentur, neve quidquam in terram transferrent, quousque præscriptum* contumaciæ, *ut ajunt, tempus pertransiret. Complures merces, easque pretiosas Myoparo adferebat, ac præsertim tapetem laneum affabre elaboratum, quem fama fuit Antonium Navarra, qui a libellis erat Serenissimi Viceregis mandasse in Africa, ut ad usum ejusdem Principis texeretur. Is itaque cum audisset latum a rostrata navi tapetem fuisse, scripsit Serenissimi Emmanuelis Philiberti nomine Drepanensibus Senatoribus, ut posthabita contumacia permitterent illum e navi educi, et Panormum mitti. Cui mandato, quod Viceregium reputabant; cum illi inepte obtemperassent, factum est, ut pestifera lues primum Drepano, deinde Panormo, ceterisque Siciliæ civitatibus communicata statim fuerit.*

normus, sed ceteræ quoque ferme omnes Siciliæ urbes extrema calamitate afflictæ jacuissent, nisi divini numinis favore detecta fuissent Sanctæ Rosaliæ in Monte Ercta Ae ..., cujus Virginis precibus lues cessavit.

Hispanus interim Rex præter Belgicum bellum, quo premebatur, in Italia quoque armis agitabatur. Sabaudiæ Dux fœdus cum Gallis inierat, atque Genuensem ditionem invadere tentabat, cujus partem Gallo Regi concedens, alteram sibi possidendam reservabat. Quod si accidisset, actum de Mediolanensi Ducatu, cujus Philippus potiebatur, jam esset, qui inter Gallos Genuæ dominos, et Sabaudos collocatus, haud potuisset eorum irruptiones evitare. Suppetiæ propterea Genuensibus subministratæ sunt, missusque Genuam cum tribus ac triginta triremibus, et veteranis militibus quatuor millibus, Marchio Sanctæ Crucis, jussique Gubernator Mediolanensis, amboque Vicereges Neapolitanus, et Siculus, obsessæ urbi opitulari: quod missis Regiis triremibus, Hispanisque copiis factum ab ipsis est. Repulsis ita Gallo-Sabaudis copiis, Respublica ab obsidione liberata est. Sed et insequenti tempore, anno scilicet 1628. novum in Italia exortum est bellum, mortuo absque liberis maribus Ferdinando Gonzaga Mantuæ Duce, atque Vincentio ejus fratre, qui in hereditate successerat, graviter infirmo. Cum enim Carolus Gonzaga ex eadem stirpe, qui in Gallia sedem fixerat, jus ad Ducatum Mantuæ recte sibi vindicans, copiis Galli Regis illum occupasset; vicinitatem Gallorum, quos in Italis regionibus morari non sinebant, moleste ferentes Philippus Hispanus, et Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, fœdus iniere, ut Carolum e Mantuano Ducatu exturbarent; quibus accessit etiam Ferdinandus II. Augustus, Mantuanam ditionem velut feudum Imperii nisi ejus concessione possideri non posse existimans. Quod bellum auxilium ferentibus Carolo Venetis, et clanculum Urbano VIII. Rom. Pont. universale pene evasit, et triennio perduravit, non levi Hispani regis jactura, qui immensos thesauros consumpsit, eoque renitente Carolus Mantuanum Ducatum retinuit. Cui damno major accessit calamitas, quando anno eodem 1228. Classis, quæ ab Indiis divitiis scatens ad Insulam Cubæ ab Hollandica impetita fere omnis periit, viginti navibus bellicis cum auro, argentoque, quæ ferebant, in hostium manus pervenientibus.

Ad egestatem his malis redactâ Hispaniâ, opportunum Messanensibus tempus visum est, oblatis decies centenis millibus aureis, a Re-

Rege, quod ab ævo optaverant, obtinere, ut scilicet Vicerex in eorum urbe moraretur. Ut vero obstacula, quoad fieri possent, declinarent, proposuere, ut Sicilia omnis duas in provincias secerneretur, quæ sui singulæ juris essent, suumque Viceregem haberent. Aurem facilem huic postulato præbuit Philippus, et Hispaniæ Aulicus Administer Comes de Olivares, qui oblato dono inhiabant; sed resistere Panormitani, ceterique Siciliæ incolæ, et in primis Dux de Alburquerque Regni moderator, qui hoc pacto propriam auctoritatem dividi, et imminui noverat. Res eo devenit, ut necessum fuerit in generalibus colloquiis totius regni majus Regi exhibere donum eo, quod oblatum a Messanensibus fuerat, quamvis hi impares solvendo essent; atque ita factum est, ut nihil quidquam immutaretur.

Quid vero oblata Siculis dona, quamvis ditissima, et ante hac inaudita, ad tot bella sustinenda prodesse poterant? Cispadana, et Transpadana Gallia omnis Martis incendiis conflagrabat, evaseratque innumerorum, eorumque insignium heroum sepulcrum. Galli, quibus Dominus de Crequì imperabat, conjunctis viribus cum Victorio Amedeo Sabaudiæ, Carolo Mantuæ, et Odoardo Parmæ Ducibus, cotidie cum Marchione de Leganes Hispani exercitus Duce, cui se Franciscus Estensis copulaverat, pugnabant, incertis quidem præliis, sed quibus millia victimarum Libitinæ immolabantur; nec tot alendis exercitibus, complendisque per novos milites, qui mortuis succederent, Regium Hispaniæ Ærarium potis erat; quamobrem nova semper subsidia petita a Siciliæ Regno sunt, quæ peramanter Siculi subministrarunt, quamvis summa egestate pene laborarent.

Utinam vero ejusmodi squallidæ misellæque Siciliæ largitiones, sive ad servandum avitum Hispaniæ splendorem, sive ad augendas Regis ditiones inservissent. Mala in diem increbescebant, furebat bellum per Italiam universam, quodque gravissimum Hispaniæ vulnus inflixit, Catalauni vectigalibus, et tributis irretiti, jugum excutere conati sunt, et ministros regios trucidantes tumultus excitarunt; Lusitani vero eamdem ob caussam Brangantiæ Ducem sibi Regem elegerunt anno 1640., ut brevi mensium spatio Philippus integrum Lusitaniæ Regnum amiserit, et Catalanam Provinciam, quæ vere tunc Regem non erat execrata, sibi minime obtemperantem observaverit. Hujusmodi vulnera ignota Philippo erant, Comes enim de Olivares, qui cuncta moderabatur, studuit semper, ut ad Regis aures non pervenirent, vel simulatis rationibus lenita pertingerent.

Tan-

Tandem e somno veluti excussus amicorum consiliis hic Princeps novit, quantas ad angustias superbus de Olivares sua Regna redegisset, parumque abesse, ut diademate exspoliaretur; jam enim Catalauni Ludovico XIII. Francorum Regi sese dederant anno 1641., et Barcinon anno 1643. januas Gallicis copiis aperuerat; qua propter ut ingens damnum a se amoliretur, etiamsi sero eumdem deposuit, eique sufecit Aloysium de Hedo ejus nepotem, qui avunculi exempla minime secutus, ut potuit, rem restituere cunctando conatus est.

His vero infortuniis, quæ in Hispanicis Regnis ei acciderant, accessere tumultus in utraque Sicilia excitati, tum ob annonæ caritatem, tum ob vectigalium gravitatem, quæ in dies populis imponebantur, ut regiis necessitatibus occurreretur. Principio autem Messanæ mense Novembri anni 1646. seditio exorta est, quod frumentum deesset, panisque minor pondere, quam consuetum erat, venum iret: qui motus brevi per Marchionem de los Veles Viceregem, qui Panormo Messanam statim advolavit, sedati sunt. Anno vero sequenti 1647. aucta per universam Siciliam egestate, segetibus ob constantem cæli siccitatem in campis arescentibus, decurtato etiam Panormi pane, plebs non aridam tempestatem, sed Senatores, Magistrosque rationum Regii Patrimonii, qui ejus diminutionem consuluerant, accusans, in rumorem concitata est diebus decimonono, et vicesimo mensis Maji (2), nec sopitus tumultus nisi Julio mense. Ignis seditionis doloso cineri per mensem suppositus ardentius erupit insequenti Augusto, cum exemplo commotionis Neapoli a Thoma Aniello excitatæ, populus iterum ad nova tentanda incitatus est (3). Secundo hoc tumultu, morte auctorum suffocato, haud

D d

(2) *Facem tumultuariis præbuerat Antonius la Pilosa, vilis lanio, qui carceribus detentus in primo populi motu e vinculis ereptus est, et audacia sua ceteros regebat, cui ejusdem furfuris insani homines complures sese copulaverunt, urbemque stragibus, et incendiis impleverunt.*

(3) *Ad cauponam prope Parochialem S. Antonii Ecclesiam venerant Joseph Alesi auri textor, Joseph Erranti, Franciscus Daniel, Vincentius Aragona, et Joannes Baptista ab Aquila magistri Coriarii, qui postquam inebriati fuerant cœperunt de Panormitanis calamitatibus eloqui, eaque, quæ Neapoli acciderant, enarrare, tempusque esse statuerunt, oppres-*

haud propterea civitas ad tranquillitatem pristinam rediit ; assidue enim novis timoribus afflicta, novisque tumultibus agitata (4) quietem nacta non est, nisi mense Novembri sequentis anni 1648. Cetera, quæ per universam Siciliam hac ipsa ætate acta sunt, cum singulæ ferme civitates, si unicam Messanam excipias, eodem seditionis morbo infectæ fuerint, silentio prætereunda censemus.

Siculorum perturbationum, maxime postremarum sedatio, si vera fari velimus, vigilantiæ, et strenuitati Cardinalis Trivultii tota debetur, qui modo minis, et pœnis, modo humanitate, et præmiis corda habitantium, vel terruit, vel ad se traxit, et semper vigil tumultus antequam nascerentur, extinxit. Non eadem ratione Neapoli res accidit, cum necesse fuerit Philippo Joannem Austriacum, qui alter ab eo, de quo supra meminimus, est, filium suum spurium

pressis primo urbis Dynastis, quorum incuria tanta patriam perpeti arbitrabantur, aliam regiminis formam introducendi. Ne vero novæ, quam tentabant, conspirationi rector deesset, juravit quisque eorum se patriæ defensionem suscepturum. Ut autem confusio omnis tolleretur, in modulum vini propriu nomina injecerunt hac lege, ut qui primus sorte prodiret, primas iu tamultuatioue teneret, quo mortuo, vel trucidato, alter sufficeretur, atque ita deinceps, prout e vase eorum nomina egrediebantur. Cecidit in Josephum Alesi sors, qui die 15. Augusti plebem commovit, Viceregem, Seuatum, Dynastasque terrefecit, eoque devenit, ut populi Panormitani Dux, et Syndicus Senatus diceretur, leges ferret, custodiam sibi statueret, consiliarios eligeret, aliosque ministros ad regendam urbem destinaret, omniaque pro arbitrio moderaretur. Sed a suis derelictus, quos post arreptam auctoritatem gravi supercilio suscipiebat, quam merebatur, pœnam morte subiit.

(4) *In longum hæc historiola de Panormitanis tumultibus nos duceret, si cuncta persequi placeret. Sat est breviter indicare, postquam mortuo Vicerege Marchione de los Veles, Cardinalis Theodorus Trivultius regende Siciliæ destinatus fuit, Franciscus Vaira cogitaverat orco sacrificare, 8. Decembris, Viceregem, Magistratus, et Nobiles, et extincta Monarchia, Reipublicæ ordinem iutroducere; Gabriel Platanella in Galliam profectus, seque legatum populi Panormitani effingens, principem Urbem regi exhibuerat. Petrus Milana die VIII. Aprilis alteram seditionem adversus Proregem, et Dynastas excitare conatus est, sed re de-*

rium eam in Urbem cum classe, et exercitu mittere, cui res, Neapolitanis ad arma currentibus, et Galliæ subsidia flagitantibus, male cessisset, nisi rebellium unus, cui cognomen *Gennaro*, suos prodidisset, Urbis januas Hispanis reserando, ob quod Guisensis Dux, qui supremus rebellium Imperator fuerat constitutus, in manus Hispanorum cecidit, et vinctus Matritum missus est. Fortunatior vero Joannes idem Austriacus in compescendis rebellibus fuit, quando ad Siciliam regendam post Trivultii discessum electus Messanam anno 1649. deinde Panormum se contulit; nam nec ad arma, ut Neapoli, ventum est, nec ingens conspiratorum numerus, ut ibi, trucidatus fuit, sed pauci inter eos, iique primores mortem obiere (5).

Dd 2 Ce-

---

detecta, eoque morti condemnato, Franciscus Ferro unus ex ejus familiaribus, quod ipse implere nequiverat, exsequi insequenti Julio, sed perperam cogitaverat. Hac ratione Panormi tumultuatio velut poetarum Hydra a Majo anni 1647. ad Julium anni 1648. constans permansit, ut uno exciso capite, aliud ad turbandam Urbem exsurgeret.

(5) *Ut hæc conspiratio, quæ postrema sub Philippo III. fuit, innotescat, sciendum, mendacem quamdam famam de regis morte per Siciliam, et præcipue Panormi fuisse evulgatam. Erant hac in urbe ea tempestate duo Jurisperiti in arte eloquentiæ singulares, et de Austriaco imperio pertæsi, quod forte ad Magistratus, quos sibi deberi arbitrabantur, non fuerint promoti, Antonius del Giudice, et Joseph de Pisce. Hi itaque, qui Dynastarum domos frequentabant, calamitates Siciliæ, quæ mortuo rege sine liberis futuræ erant, magnificantes, ad eas effugiendas maligne in memoriam revocabant familiarum nonnullarum Siciliensium antiquam nobilitatem, quarum complures regium sanguinem ostentabant, posseque Siculos suadebat, si vellent proprium sibi Principem ex his eligere, bellumque evitare, quod non exardescere ex morte regis minime poterat. Hujusmodi sermones optimatum aures titillabant, et præcipue Comitis Mazzarini, qui ob stirpis suæ vetustatem, atque oppida innumera, quæ possidebat, sperabat fore, ut insula Regia posset exornari, de quo versuti illi seductores eidem blandiebantur, tametsi clanculum conarentur Paternonii Principem ex Montecatenis proceribus præferre, quem Panormum vocaverant. Detecta horum vafritie, agenteque præcipue Comitis Mazzarini uxore, matrona nobilissima, et virtutibus cele-*

Ceterum Philippus postquam in celebri Tractatu, qui Monasterii in Germania anno 1648. conclusus est die tricesima Januarii, pacem cum Hollandiæ Provinciis iniit, juribus omnibus, quæ in eas habebat, suo, suorumque successorum nomine renuncians, easque liberas, et sui juris agnoscens, ad Catalaunios reprimendos conversus est, atque anno 1652. Joannem Austriacum filium e Sicilia revocans, præcepit, ut rebelles ad debitam obedientiam reduceret, quod hic feliciter gessit, Barcinone potitus ejusdem anni die tertia decima Octobris. Post hæc, anno nempe 1659. cum Ludovico XIV. Gal-

---

celebri, quæ virum suum illudi intellexit, per quemdam Comitis familiarem Messanam missum conspiratio Serenissimo Joanni Austriaco Viceregi manifestata est; hic statim præcepit, ut Antonius del Giudice, Joseph Pesce, Laurentius Potomia, qui inter conspirantes fuerat, duoque Presbyteri Jurisconsultorum nuncupatorum patrui carceri manciparentur. His autem carceribus addictis, cum patefactam jam esse rebellionem innotesceret, qui ex nobilibus eidem participaverant, ne viderentur e conspiratorum numero esse, ad propria oppida, Panormo egressi confugerunt. Solus Rahalmuti Comes Mazzarinensis Comitis levir, putans, si fugeret, se ipsum reum declarare, in Urbe mansit. Veniente vero Serenissimo Principe Panormum, prævio capitis judicio Joseph de Pisce securi percussus est, Laurentius Patomia palo deligatus morti addictus est die 22. Januarii 1650., et altera die eorum corpora in platea Villena affixa appaTuerunt. Die vero sequenti mensis Februarii vicesimosexto, Rahalmuti Comes, et Antonius del Giudice privatim strangulati sunt, et Joannes Cajetanus, qui antea fuerat sacris ordinibus orbatus, publice in platea prope castrum maritimum capitis damnatus est, et cum eo furcis suspensus Mercurius Micciardus Comitis Mazzarini familiaris rei curator. Restabat Simon Raus, insignis Poeta, Ecclesiæ S. Nicolai de Kalsa Parochus, vir moribus, et doctrina conspicuus, qui quamvis diu discrimen idem se se passurum timuisset, tandem a morte liberatus est, ea de caussa, quod machinationem omnem P. Spucches Jesuitæ, a quo, et a Comite Mazzarini, fuerat Vicerex instructus, revelaverit. Cæteri, qui fugam sibi paraverant, solum exilium passi sunt. De Paternionis Principe miramur nihil testari historiam, nec enim actum contra eum est, nec fisco addicta ejus bona fuerunt, nec exilio mulctatum noscimus. Quærant critici hujus indulgentiæ caussam.

Gallorum Rege paciscitur, signata pace in Pireneis ad Insulam Phasianorum, initoque inter Ludovicum memoratum, et Mariam Theresiam Philippi filiam matrimonio, cui dotis loco Comitatus Rousselionis conceditur.

Pacata cum Catalauniis, et Gallis re, cogitavit Philippus Lusitanum Regnum repetere, cum graviter ferret illud insperato perdidisse; quod equidem obtinuisset, si Joannis Austriaci in bellis gerendis peritissimi opera usus esset: sed hic occultis Reginæ, quæ in Regis animum dominabatur, consiliis in ejus odium venit, et Consaburum in exilium missus est. Hoc experto copiarum ductore destitutus quidquid adversus Lusitanos suscepit, inaniter gessit, pluriesque ejus exercitus ab hostibus percussi sunt. Cum hæc contra Lusitanos agerentur, Marchio Lichensis Aloysii de Haro filius in Regem conjuravit, qui vitæ periculum subiit. Criminis rei pœna mortis mulctati sunt, sed Marchionis capiti, quod filius Administri esset, condonatum est, qui tamen vere pœnitens scelus admissum insignibus rebus gestis expiavit, ita ut dignus habitus sit, qui Neapolitano Regno vice Regis præficeretur.

Tot calamitatibus oppressus Philippus, morbisque affectus, tandem anno 1665. die decimoseptimo Septembris cum annum sexagesimum jam complesset, communi hominum sorti cessit. Duas habuit uxores, Elisabetham Henrici IV. Gallorum Regis filiam, cui anno 1615. nupserat, qua mortua anno 1646. nec ex multis filiis, quos genuerat, quempiam, excepta Maria Theresia Ludovico XIV. nupta, relinquente, ad secunda vota convolavit, duxitque Mariam Annam Austriacam Ferdinandi II. Augusti filiam, quæ ei genuit Margaritam Theresiam Leopoldi Imperatoris fœminam, alios tres, qui in incunabulis mortui sunt, et Carolum II. de quo mox dicemus. Præter hos nothum ex pellice recepit, Joannem scilicet Austriacum, quem memoravimus, et de quo inferius sermo redibit, cum æque in Patris, quam in fratris regno floruerit. Quamvis Philippus ingenio, et virtutibus, ut monuimus, præstasset, ac propterea poterat subditos in officio continere, eorumque amorem ad se trahere, nihilominus nec sui benevolentiam in illis excitavit, nec timorem eorum animis incussit. Nulla regnorum cura sollicitus, cunctaque ministrorum suorum voluntati permittens, nihilque agendo, quadraginta quinque annos regnando consumpsit. Comes de Olivares, qui primus Regni habenas suscepit, quando Philippus Regium solium conscendit, ut ei adblandiretur *Magni* nomine condecoratum cen-

censuit, quod nusquam meritus est; et plurium salium atticorum causam otiosis subministravit (6).

DE

(6) *Lepidissima omnium facetiarum ea fuit, quae visa est, post quam Lusitanum Regnum, Comitatum Roussellionis, partem Catalauniae, Insulas Azoras, aliaque perdiderat, nam velut ejus stemma conficta adparuit fovea, cui hoc appositum erat dicterium:*
Quo plus tollitur, eo grandior evadit.

DE CAROLO

II. SICILIÆ, ET HISPANIÆ REGE AUSTRIACORUM POSTREMO.

Quadrimus erat Carolus II., cum in demortui patris locum suffectus est, ac propterea sub Reginæ Mariæ Annæ Austriacæ, et sex consiliariorum tutela constitutus remansit ex Philippi postremis tabulis. Cum inter electos Regnorum gubernationi Supremus Hispaniarum Quæsitor, quo munere Cardinalis de Aragona tunc fungebatur, primas teneret, isque caussa mortis Cardinalis de Sandoval ad Archiepiscopatum Toletanum fuerit evectus, tunc ut novus huic Quæsitor supremus sufficeretur, promotus Reginæ opera ad tam insignem dignitatem est P. Everardus Nitardus ex suppressa Societate Jesu, qui ei a confessionibus erat, quique cum Mariæ Annæ Austriacæ conscientiam regeret, totius regiminis, ut par est credere, unicus, et supremus arbiter evasit.

Vix Carolus Regni solium conscenderat, cum Ludovicus XIV. Gallorum Rex sibi vindicare cogitavit Flandriam Austriacam, Barbantem, et Burgundiæ Comitatum, quæ Hispanicæ Provinciæ erant, quasque ad Mariam Theresiam Philippi III. primogenitam dotis nomine spectare contendebat, quamvis hæc priusquam nuptui traderetur, publico instrumento bona hæc recusasset (1). Adsciti sunt ea de re Theologi, et Jurisperiti complures, qua Galli, qua Hispani, et ut illi Regis Galli jura tutati sunt, sic isti adversus Ludovici postulata sententiam protulere; ita utrique Theologiam, et Jurispruden-

(1) *Forte Ludovicus ægre tulerat quæ Philippus ejus socer testamento caverat; ipse enim statuerat, quod si Carolus filius sine liberis moreretur, non, ut par æquumque videbatur, primogenita Maria Theresia ad regnorum dominium succederet, sed primo Maria Theresia ex Maria Anna Austriaca sibi nata, deinde Leopoldus Augustus ejus vir, tandemque Sabaudiæ Dux, exclusa semper Gallorum Regina, quæ tum demum heres instituebatur, cum viduata viro ad regna paterna rediret; et consensu prævio Regnorum Hispanicorum Principi ex Austriaca stirpe nuberet. Adeo Philippus Borboniam familiam, cum qua tot bella sustinuerat,*

dentiam suorum regum commodis inservire jubebant. Hæ vero res cum non essent disputationibus, sed tormentis bellicis, et militaribus copiis definiendæ, Ludovicus XIV. postquam Dunquercum versus octo millia armatorum miserat, vere anni 1667. Parisiis egressus, atque triginta quinque millium exercitum secum ducens, stipatus celebri *Maresciallo* de Turrena, in Belgium Austriacum profectus est. Venit, vidit, vicit; nam ne evaginato quidem gladio cunctarum urbium statim potitus est, si Bruxellas paucasque alias parvi momenti civitates excipias, ut recte non ad bellum, sed ad iter conficiendum perrexisse visus sit. Sequenti anno 1668. quamvis hiems rigidus esset, Burgundiæ Comitatum aggressus, eadem facilitate, velut torrens, integrum occupavit.

Cum ita Gallus Rex Imperii sui fines protenderet, qui ceteris Europæ regionibus præerant, inter quos præcipuus Leopoldus Augustus fuit, velut e gravi surgentes somno timuerunt, ne plus æquo Gallica potentia excresceret, ceterisque superior exsisteret. Eam ob rem idem Imperator, Germaniæ Principes, Angli, Hollandiæ Respublica, et Suedus Rex fœdus iniere, ut nimiæ acquirendi cupiditati Ludovici XIV. se se opponerent, infantulumque Hispaniæ Principem defenderent, ne avitis bonis denudaretur. Romanam Sedem occupabat Clemens IX. qui sui muneris, velut communis patris, esse arbitratus dissidentes Principes conciliare, statim ac Ecclesiæ Universalis Pontifex renunciatus fuit, omnem posuit operam, ut bellantes ad optatam pacem reduceret: restitit Ludovicus hortanti Pontifici, sed cum fœdus ab aliis Principibus contra se jam initum audiit, ut ingruentem procellam a se amoliretur, pacem ipse proposuit, et Clementem ejus arbitrum constituit. Missis Aquisgranum, quæ Civitas libera Alemanniæ electa ad congressus agendos est, Principum Legatis, ita res composita fuit, ut Ludovico parerent civitates, quas in Belgio Austriaco acquisierat, Carolo vero Comitatus Burgundiæ re-

---

rat, odio habuit, ut perpetuo eidem aditum ad Hispanas ditiones praecluserit. Sed ut vana sunt, quæ homines testamento cavent! Mortuo sine filiis Carolo, nec Margaritæ Theresiæ, nec Leopoldi, nec Sabaudiæ Ducis successores Hispanis præfuere, sed Philippus Andegavensis Mariæ Theresiæ, ex Delphino nepos Hispanam Monarchiam obtinuit, ut inferius ostendemus.

restitueretur. Acta hæc pacificatio est VI. Nonas Maji anno eodem 1668.

In Sicilia interea, et præcipue Catinæ bellum primum movit superbus Mons Ætnæ vere anni 1669. a quo, quæ mala insulæ Civitates, et potissimum Catina perpessæ sint, erudito opusculo de *incendiis Ætnæ* cap. IV. delineavit Alphonsus Borellius. Anno postmodum 1670. summa annonæ egestas Regnum vexavit, itemque annis 1671. et 1672. cui pellendæ non parum Claudius Lamoraldus, Princeps de Ligne, qui Regnum Caroli nomine moderabatur, civicique Magistratus insudarunt. Sed Messanæ præsertim populus, qui Senatum Annonæ præfectum aversabatur, graves excitavit tumultus, quibus facem fortassis præbente Aloysio de Oyo urbis Stratego, discerpta duas in factiones Messana est, quarum altera *Merulorum*, alia *Turdorum*, quos Siculi *Malviezos* nominant, dicta est, frustra adnitente Viceregе, qui Messanam ad componendas lites statim perrexerat. Re infecta recessit Ligneus, cujus loco electus Bajonensis Marchio Franciscus Bazan cum suaves modos ad coercendos cives illos vanos experiretur, viribus vincendos ratus, Messanam obsedit.

Irrequietus Ludovici XIV. animus ad bellicas actiones brevi rediit, et Hollandis irritatus arma contra eosdem movit anno eodem 1672. quorum prosperis eventibus territus Leopoldus Imperator cum Carolo II., Hollandiæ Republica, et Brandeburgensi Electore fœdus pepigit, ut regis Galli victoriis frena injicerentur. Nihili hanc societatem habuit Ludovicus, atque ineunte anno 1673. Brandeburgensem Principem valido exercitu ita pressit, ut ad petendam veniam, et inducias induxerit: et mense Octobri ejusdem anni bellum Hispano Regi indixit. Nova hac inter Gallos, et Hispanos exorta inimicitia, erecti sunt Messanensium animi, qui statim Antonium Caffarum in Galliam miserunt, ut Regi Gallorum ipsorum urbem offerret, rogaretque, ut oppressis obsidione civibus succurreret. Res ex voto cessit; præparata extemplo navigia sunt, quæ victualia, et milites Messanam deferrent, statutumque est; ut navalia instruerentur, quæ in Siciliam profecta Messanensem Civitatem in Regis patrocinium susciperent, et si fieri potuisset, universam Siciliam occuparent. Anno itaque 1674. ad arma inter Gallos, et Hispanos itum est, quæ secunda Gallis evenere; nam primo Hispana classe victa a Gallis die 9. Februarii anni sequentis 1675. Messanenses a caritate annonæ, quam diu sustinuerant, liberati sunt; deinde Gallicis copiis pedem Messanæ figentibus, Hispani milites paulatim ab obsidione recede-

re coacti sunt, et ad castra Mylas se recipere; post hæc Ludovicus Messanæ Rex conclamatus est, civesque ex tumultuantibus rebelles facti sunt. Augustanæ deinde civitas, ejusque vastissimus portus in Gallorum manus pervenit. Cum vero ad expellendos a Sicilia Gallos, atque ad reparanda damna maritimo bello Hispanis allata, Carolus ab Hollandis classem obtinuisset, cujus præfectus erat Hadrianus Michael Ruyter, cujus virtus, et in navalibus bellis peritia nemini erat ignota, bis in Siculis maribus pugnatum est, primo prope insulam Strongule, incerto Marte die 9. Januarii anni 1676., secundo die 22. Aprilis ejusdem anni Syracusas inter, et Augustam ad septentrionalem oram Ætnæ montis, quo in bello invictus Ruyterius, dum in puppis superiore parte vigil omnia disponeret pila ignea tormenti bellici in crure percussus cecidit, et post paucos dies obiit. Post hoc bellum, de quo utraque pars victoriam cecinit, Dominus de Haen, qui Ruyterio mortuo classis imperium susceperat, reparatis navibus Panormum venit. Vivonensis Dux, qui Regis Ludovici nomine Messanæ dominabatur, cuique summa belli concredita erat, cum novæ bellicarum navium subsidia a suo Rege recepisset Panormum advolavit, atque Hispano-Hollandicam classem adortus est; cum vero de Haen noluisset e portu exire, et cum Gallis congredi, incendiariæ naves contra eum die secunda Junii prædicti anni missæ sunt, quibus Hollandicis, et Hispanis navigiis ignem admoventibus, post duarum horarum conflictum flammis classis Hollandica ferme omnis, et Hispanicarum navium pars maxima absumpta est.

Cuncta cum prospere Gallis contigissent maritimo bello, tentandum ratus est Dux Vivonnius, utrum terrestri æque secunda acciderent, et Augustam cum classe perveniens, copiis e navi eductis terrestri itinere multa aggressus est, pauca vero obtinuit (2), atque hæc

(2) *Nam Melillim oppidum, ita dictum a melle, quod in collibus Hyblæis colligitur, nullo negotio occupavit, non enim admodum munitum erat, ejusque præsidium centum quinquaginta milites non exsuperabat. Posthac Catinam versus exercitum duxit, sed cum prope flumen esset, audiens Hispanum exercitum non longe abesse, castra movit, et Augustam regressus est. Tentavit deinde Syracusas, Carleontinum, et Leontinum Gallorum imperio subjicere, sed cum perdifficile esse comperi-*

hæc fortasse ejus negligentia, qui Hispanam tunc rem bellicam regebat (3), post quæ ad hiberna milites dimisit. Interea Carolus II. tot calamitatibus vexatus, Gallos, et Anglos cotidie passus hostes, et Siciliæ diadema prope sibi eripiendum sentiens, novit mala hæc omnia a femineo Matris imperio, pessimaque Jesuitæ Nitardi administratione proficisci; quamobrem Regem tandem agens Annam Austriacam e Regiis sedibus expulit, et in cœnobium Toletanum relegavit, Joannem vero Austriacum fratrem nothum, cujus in rebus agendis peritia innotescebat, Regnorum suorum gubernationi præfecit. Fuerat antea Serenissimus hic Princeps, post novos Catalauniorum tumultus in partem ministerii adscitus, eoque auctore Nitardus ab Reginæ latere fuerat avulsus, et in honoris speciem Romam velut Regis Legatus missus, ubi a Pontifice Purpuratorum collegio fuerat adscriptus, sed summa rerum in manibus Reginæ adhuc persistebat, nec Joannes nisi consiliarii munus apud eam exercebat.

---

risset, munitas has Civitates, earumque Castra aggredi, mutato consilio, Tauromenium Urbem a Messana, ubi dominabatur, triginta tantum milliaribus distantem, ejusque castrum in eminente monte situm, quod Mola Tauromenitana *vocatur, aggressus est, quibus nullo negotio potitus est.*

(3) *Tauromenium ea tempestate, ut nunc etiam, propugnaculis, et muris carebat. Carolus de Vigintimillibus, Comes de Prades, arcis præfectus, cum subdubitasset velle Gallos eam arcem occupare, nec posset eorum impetus retundere, nam copiis carebat (quos enim secum habebat veteranos milites Germanos ad se advocaverat Anellus de Gusman, Castri Roderici Marchio Prorex, statim ac Catinam venerat) enixe ab Prorege petiit, ut quando veteres illos suos milites nollet restituere, mitteret saltem præsidium mille, et quingentum peditum, cujusvis nationis, quo sperabat Gallorum conatus inanes redditurum. Obsurdescente Gusmano, Catinam venit, et in frequenti Ducum conventu professus est, se imparem sustinendo Tauromenio esse, si quæsito militum præsidio privaretur. Spe omni destitutus, quod Marchio Castri Roderici putaret Gallis non Tauromenii sed Catinæ adeptionem unice cordi esse, ad arcis administrationem rediit. Paucos post e suo reditu dies viginti duæ triremes Gallicæ ad Tauromenii promontorium appulere, atque quatuor mille*

Exclusa vero a regimine Anna Austriaca, cœpit Joannes accisas, ac perditas res restituere, atque cum ceteris Europæ Principibus agere, ne Galli Regis potentia plus æquo extenderetur. Quæ vero in Sicilia acta erant, vigilem ejus animum præcipue detinebant, cogitabatque, quemadmodum posset Messanenses ad debitam Regi obedientiam revocare. Cum diu ipse, regnante Philippo Patre, Messanæ moratus esset, Proregis munus exercens, civesque humanissime accepisset, sibi blandiebatur, si ad Messanenses scriberet, facile se eos ad officium revocaturum. Eapropter come epistolium ad Senatum ejus urbis misit, veniam promittens, et privilegiorum confirmationem, modo, relictis Gallis, Carolum II. ut proprium agnoscerent Regem; sed interim copias, et navalia præparare non destitit, ut in Siciliam ad bellum contra Gallos sustinendum proficiscerentur, atque Ducem de Bournevilla exercitui præfecit. Frustra Messanensium animos tentavit, qui in rebellione perstiterunt; sive quod Gallorum vindictam pertimescerent, si consilium mutarent, sive quod in eorum animis odium in Hispanos profundiores jecerat radices. Novus Militum Imperator in Siciliam pervenit Junio mense anni 1677. statimque Mylas ad castra se contulit.

Quæ gesta hoc anno 1677., et sequenti sunt, non est opus hic referre, cum parvi fuerint momenti. Quamquam Vivonensis Dux receptis a Gallo Rege novis subsidiis, hac illac cursitans timorem ubique incusserit, modo Syracusas, modo Catinam, modo alias Siciliæ Civitates se obsessurum simulans; attamen nihil egit, immo Tauromenium, arcemque Molæ perdidit, quæ in nostrorum venere po-

---

le militibus ad terram expositis, Marchio de Villadieu eorum Dux urbem primo adortus eam cepit, tametsi Comes de Prades, cui tantum ducentum quinquaginta milites, partim Siculi, partim Calabri remanserant, omnes egregii ductoris partes adimplevisset, quousque in hostium manus cecidit. Molam deinde obsedit, ad quam tuendam Germanos milites, quos negaverat, destinavit, sed sero, Marchio Castri Roderici, eaque potitus est. Longum hic esset hujus Proregis vafritiem indicare, qui culpam omnem in Caroli de Vigintimilliis ignaviam refudit, ejusque conjunctos persecutus est; consulendi propterea ejus ætatis scriptores, apud quos reperies re ad Regis Caroli Tribunal delata prædictum Comitem innocentem, Marchionem vero de Castro Roderico reum fuisse judicatum.

potestatem, et quod pejus est epidemico, lethalique morbo ejus exercitum invadente, duo pene suorum millia interempta sunt. Accesserunt Messanensium molestiæ, quibus grave esse cœperat Gallorum jugum, jamque tumultuabantur, ut necesse ei fuerit ea in Urbe assidue morari, eamque, ut cives compesceret, copiis munitam servare. Cumque nova militum subsidia pernecessaria ei essent, Regem denuo rogavit, ut vires Gallicas exaugeret.

Pertæsum autem erat Ludovicum belli, quod in Sicilia gesserat, quo et immensos thesauros consumpserat, nihilque penitus acquisierat, si Messanam, et Augustam excipias, quarum illa seipsam in Gallorum manus dederat, hæc dolo occupata fuerat. Præterea suspicionem in ceterorum Principum animis, ob bella, quæ inverat, se excitasse persentiebat, quasi universalem Μοναρχίαν affectaret. Anglos quoque, quos sibi fœderatos diu habuerat, a se recessuros timebat, et cum Hollandis pacem inituros; tandemque ab Orientis Augusto flagitabatur, ut in Hungariam ad fovendas tumultuationes copias mitteret. Quæ cum ita essent, cumque sciret Hispanum Regem ab Hollandiæ Republica novam jam Classem obtinuisse, brevique hanc cum Navalibus Hispaniæ in Siciliam profecturam, debellandæ hujus Insulæ consilium dimisit, atque ineunte anno 1678, tres bellicas naves cum Domino de Aubusson Messanam destinavit, cui secreta mandata dedit, ut derelicta Messana, ceterisque, quæ indepti erant, Galli proficiscerentur, et ad sua redirent, modo conquirendæ totius insulæ nulla proxima esset spes. Ita die 16. Martii factum est, civesque Messanenses, qui tanta sustinuerant, ut Hispanorum jugum declinarent, a Ludovico XIV. traditi, suorum hostium arbitratui relicti fuere (4). Amissa Siciliæ obtinendæ spe, tam-

(4) *Id unum reliquum erat Messanensibus, dummodo vellent, ut propriis laribus, patria, ceterisque bonis derelictis, naves Gallicas conscenderent, et cum illis a Sicilia recederent, quod ipsis sese permissuros Galli polliciti sunt, quod quam durum, et molestum miseris illis civibus visum fuerit, nemo est, qui non intelligat; nihilominus cum furorem Hispanorum pertimerent, hanc unicam salutis viam sibi remanere arbitrati sunt, si cunctis vale dicto, simul cum Gallis proficiscerentur. Ferunt ultra quindecim millia eorum ad discessum se se parasse, sed malo fato non omnes discessere, oneratis enim navibus, cum hæ ceteros non*

tametsi Rex Gallorum bellum prosecutus prospero marte fuerit, pecunia nihilominus exhaustus propositæ paci aures præbuit, et Noviomagi, die decimo Augusti anni ejusdem, cum Hollanda Republica pacem inivit, cui deinde die decimaseptima sequentis Septembris Carolus II. accessit, conditionibus licet, quæ Ludovico XIV. potius, quam sibi faverent.

Non adeo cruenti in Messanenses, ut ipsi paverant, fuere principio Hispani, sive quod nollent eos ad desperationem, et angustias cogere, sive quod Siciliam tunc moderaretur Prorex humanissimus, et ab omni immanitate alienus (5). Sed humano hoc Principe revocato (6) novus Prorex electus est Franciscus Bonavides, Comes S. Stephani, a quo vix, aut ne vix quidem dici potest, quæ Mes-

---

non caperent, restitere earum Duces, ne ingrederentur, atque fama est eos, qui abierunt, vix ad numerum quinque millium pervenisse. Reliqui aut in patria inviti manserunt, aut alia via e Sicilia egressi fuere, et partim in Gallia, partim Venetiis, partim denique in reliquis Italiæ Civitatibus suam fixerunt moram.

(5) *Fuit hic Vincentius Gonzaga Romani Imperii Princeps ex Mantuæ Ducibus, quo nihil benignius desiderari poterat, qui statim ac Panormo Messanam pervenit, die 26. Martii per publicum præconem Regis Caroli nomine veniam rebellibus promisit; inhibuit ne in posterum quis auderet de his, quæ Messanæ evenerant, eloqui, vel factiones* Merlorum, *et* Malvizzorum *nominare, Senatores creavit, qui annonam curarent (qui enim Senatum constituerant jam cum Gallis aberant) jussitque, monetas omnes, quæ Ludovici XIV. nomen et arma præ se ferebant, ad officinam monetariam adduci, eisque fusis novas cudi, quæ Catholici regis nomen, et insignia ferrent. Atque tum demum monetæ officina Messanæ cessavit; posthac enim Panormi tantum impressi sunt nummi.*

(6) *Hujus revocationis auctor fuit Rodericus de Quintana, quem Messanenses semper execrabuntur, vir asperrimus, et inclemens, quem Rex in Siciliam miserat, ut a consiliis Gonzagæ esset. Cum vellet inhumanus hic consultor Messanam, et si fieri etiam potuisset, universam insulam ad angustias extremo rigore redigere, Proregi non nisi atroces modos suggerebat, ægreque ferens Vincentium suavitate sua ab affligendis Messanæ civibus abhorrere, atra adeo fuligine humanas Proregis actiones suis epistolis depinxit, ut tandem obtinuerit Gonzagam removeri.*

Messanenses mala, et dedecora sint perpessi (7). Hic inter cetera arcem Messanæ ædificavit, quæ adhuc exstat, quamvis terræmotu anni 1782. nonnullis in locis diruta fuerit, non ut Civitatem illam ab hostium incursione liberaret, sed potius ut novos Civium tumultus frenare posset. Nec ceteræ Insulæ civitates, licet Messanensibus non adhæserint, immunes a Comitis de Sancto Stephano austeritate fuerunt, quæ etsi minorem, aliquantam nihilominus expertæ sunt severitatem.

Proximo anno 1679. Hispania non levem fecit jacturam, cum Joannes Austriacus, a quo cuncta regebantur, qui Heroum hujus stirpis postremus fuit, anno ætatis quinquagesimo, die decima septima

---

(7) *Forte Comes S. Stephani humanior fuisset, si alium a Roderigo de Quintana a latere consiliarium obtinuisset. Sed hoc a quo recedere nefas ex mandatis Regis erat, pessima semper suadente, ut Messanam pervenit, statim Academiam militarem delevit, Strategi dignitatem destruxit, ejusque loco gubernatorem constituit, Senatum substulit, eosque, qui annonam curarent, in posterum Electos dici jussit, atque inter eos binos voluit esse Hispanos, eisque Togæ usum inhibuit; bona Civitatis fisco addixit, paucis exceptis reditibus, atque Tribunal constituit, quod* Juntam *dixere, a Jurisperitis compositum, qui Annonæ administrationi una cum Electis invigilarent. Veniam a Gonzaga impertitam restrinxit, et ad solos, qui Messanæ essent, reduxit. Exsulum possessiones confiscavit, civibusque omnem cum illis litterarum communionem interdixit, novum vectigal singulis imposuit. Nec his contentus tabularium urbis diripuit, atque monumenta ibidem existentia, quæ inter putabatur Romanæ Reipublicæ, Arcadii Augusti, et Normannorum Principum exstasse privilegia, atque insignem Manuscriptorum Constantini Lascaris collectionem Panormum transtulit, Universitatem studiorum adeo percelebrem abolevit, ejusque privilegia Catinensi concessit. Tandem ut centena alia missa faciam, Palatium Senatus solo æquavit, æs campanum majoris Templi, quo populus convocabatur, in rostra scindi imperavit, quæ Panormum misit, ut equestris statua Caroli II. iis liquefactis conflaretur, quæ dein Messanam translata in Area destructi Senatorii Palatii anno 1684. die 26. Maii collocata fuit, addita basi in Messanenses iniqua inscriptione, quæ æternum esset patrati sceleris monumentum.*

ptima Septembris fato cesserit. Indoluit hac morte Carolus, qui cum singula a fratre recte gesta adhuc fuisse nosceret, ministrum alium tantæ virtutis, et firmitatis, qui illi sufficeretur, se inventurum esse desperabat; elapsis deinde annis quinque, scilicet an. 1684. cum ad pacem inter Galliæ Regem, et Augustum Leopoldum componendam ministri Ratisbonam convenissent, statutæ ibidem sunt inter Carolum, et Ludovicum XIV. induciæ viginti annorum. Anno deinde 1686. Augustæ Vindelicorum celebre fœdus initum est, signatumque die 21. Junii inter Leopoldum Augustum, Carolum II. Ludovicum XIV. Carolum XI. Svedum, cui complures alii accessere Principes, cujus præcipuum caput erat, ut sarti tecti servarentur tractatus, de quibus Monasterii, Noviomagi, et Ratisbonæ convenerant.

Serenitatem, qua Hispana Regia fruebatur, ademit, et in luctum convertit anno 1689 mortua efflorescente adhuc ætate Maria Aloysia Borbonia Regina, quæ Carolum viduum, et sine liberis reliquit. Ne herede Rex careret post paucos menses ad secundas convolavit nuptias, duxitque anno 1690. Mariam Annam Philippi Guillelmi, Ducis de Neoburgh, et deinde Palatini Electoris filiam, ex quo etiam connubio nec prolem ullam nactus est. Interea Rex Gallus, nulla habita induciarum ratione, velut hostis, Regis ditiones, aliorumque Principum, quibuscum de deponendis armis convenerat, gentium jura spernens, occupabat. Carolus suspicatus, Comitem de Orepesa, quem rebus gerendis præposuerat, hæc dissimulare, quod forte secreto Ludovici XIV. amicitiam coleret, eumdem ab officio removit, atque Castellanæ Classis magnum Præfectum in ejus locum substituit anno 1692., qui annus exitialis Siciliæ exstitit, cum terræmotibus, qui a die 9. Januarii ad 11. Valles Noti, et Demonum vexarunt, ceciderint Catina, Syracusæ, omnesque ferme earum regionum Urbes, innumerique ubique habitantes, ut defunctorum hac calamitate numerus, ex supputatione de Proregis mandato inita, quinquaginta novem millia, et septingentos exsuperarit: sola Mazariæ Vallis, tametsi tremorem terræ incolæ senserint, ab hoc flagello immunis fuit.

Nulla spe prolis Carolo relicta, quoniam duabus ductis uxoribus fœtura nulla accidit, et cum ipse in dies morbo tenaci affligeretur; qui jus aliquod ad Hispana Regna se se habere arbitrabantur, tempestive suis commodis providere studebant. Horum princeps erat Ludovicus XIV., qui ut ex nostra genealogica arbore fit palam,

Ma-

Matrem habuerat Annam Mariam Mauritiam Philippi III. filiam, et uxorem sibi duxerat Mariam Theresiam a Philippo IV. genitam, ex qua Ludovicum Delphinum obtinuerat. Proximus huic erat Augustus Leopoldus I., qui præterquam quod e stirpe Austriaca Viennensi erat, matrem etiam sortitus erat Margaritam Theresiam ejusdem Philippi IV. gnatam. Longius aberat Victor Amedeus II. ut qui pronepos erat Catharinæ Austriacæ, quam Philippus II. genuerat, et Joseph Ferdinandus Leopoldus Electoris Bavariæ primogenitus, qui ex matre nepos erat Margaritæ Theresiæ ex Philippo IV. natæ, et Imperatoris Leopoldi uxoris. Eamobrem propiores in gradu erant Ludovicus, et Leopoldus, eorumque filii. Ferale autem bellum exardescebat adhuc, quod Ludovicus prædictus solus sustinebat adversus Hispanos, Anglos, Hollandos, et Sabaudiæ Ducem; quare difficile reputans, cum tot hostes haberet, qui certe ejus studiis obstitissent, ut ad propositum finem pertingeret, de pace cum illis ineunda cogitavit; et primo cum Victorio Amedeo Sabaudiæ Duce secrete egit, et ad suas traxit partes, mirantibus fœderatis, qui quæ gesta inter hos Principes erant, tum demum pernoverunt, cum induciarum tempore elapso, hos conjunctis viribus contra se pugnare animadverterunt. Avulso a fœdere Sabaudiæ Duce, ceteri Principes, et Hispania præsertim, quæ prope erat, ut Mediolanum deperderet, ad pacem ineundam animum revolverunt, quæ in Castro Riswich non longe ab Haga ab universis conclusa est die 20. Septembris 1679. unico excepto Leopoldo Augusto, cujus Legati tandem post paucos dies, scilicet 30. Octobris, eidem adhæserunt.

His peractis, in quibus Ludovicus XIV., etsi victor semper exstiterit, generose, quæ contra hostes acquisierat, restituit, ad hereditatem Caroli II. cor convertit, et ne videretur solus eidem inhiare, nova, nec adhuc audita ratione, proposuit vastissimam Hispanam Monarchiam vivente etiamnum Carolo, discerpere, atque singulis suam partem tribuere, qua post ejus obitum fruerentur. Nec dissentientes invenit Anglos, et Hollandos, quorum voluntate Hagæ anno 1698. hæc statuta est distributio: Hispaniæ nempe, et Orientales Indiæ Josepho Ferdinando Bavariæ Ducis filio attributæ sunt, Delphino Ludovici XIV. filio Neapolis, et Siciliæ Provinciæ, Guipuscoa, aliæque civitates, et Leopoldo Augusto Mediolanensis Ducatus.

Carolus, quamquam morbo affectus, graviter passus est propriam

 here-

hereditatem ab alienis Principibus designari, statimque die 28. Novembris ejusdem anni testamentum condidit, et Bavariæ Principem, ut antea declaraverat, omnium regnorum, quæ ipse possidebat, unicum heredem constituit; quod quidem Hispanos magna lætitia affecit, qui Monarchiam dividi ægre ferebant. Sed post pauca electus heres die sexta Februarii anni sequentis 1699. immatura morte raptus est, irritæque propterea testamentariæ Caroli tabulæ evaserunt. Josephi Ferdinandi Leopoldi interitus novis locum præbuit occultis Principum consiliis, quorum spes exaugebatur. Matriti, Parisiis, Londini, Hagæ tabellarii frequentes adparebant, litteras huc illuc perferentes. Sed quod mirari subit, Ludovicus XIV., Hollandæ Provinciæ, Anglusque Rex nihil veriti, quod vivente Carolo Hispaniam provinciam pro arbitrio discerpserint, novam distributionem suopte ingenio meditati, quæ Bavaro Principi in prima concesserant, Leopoldo Augusto adsignarunt, Mediolanensem Ducatum Lotharingiæ Duci tribuerunt, modo sui ditionem Gallo Regi cederet: cetera, ut in prima distributione constituta erant, permanserunt.

Alterum hoc facinus æque temerarium visum est Regi, Reginæ, et Primoribus Hispaniæ, collatisque consiliis decretum est, hereditatem omnem in Carolum Lepoldi Cæsaris secundo natum transferre, qui Matritum a Rege ipso vocatus est, ut Hispanis moribus assuesceret. Sed renuente Leopoldo (9) imminutus est Hispanorum ardor, quo Carolum Leopoldi filium ex Austriaca stirpe sibi in Regem dari exoptabant (10), cumque Rex quid ageret, ignoraret, apertus est

(9) *Postulaverat Carolus a Leopollo, ut filium in Hispaniam cum exercitu decem millium hominum mitteret. His vero copiis destitui ea tempestate nequibat Augustus, quippe tametsi victor de Turcis fuisset, et cum Mustafà II. die 26. Januarii anni 1699. inducias quinque et viginti annorum statuisset, verebatur nihilominus, ne prolita fide Mahometani suas Regiones invaderent, quas propterea munitas necesse erat ut servaret. Carolum vero etiam militibus stipatum nolebat in Hispaniam mittere, cum certum ei esset Hollandos, Gallos, Anglosque omnem operam collocaturos, ut eum ab hereditate totius Hispaniæ, quam ipsi discerpere jam statuerant, exturbarent. Quare optabat potius, ut in Italiam destinaretur capiendi ergo Mediolanensis Ducatus, regnorumque utriusque Siciliæ possessionem.*

(10) *Quin cœpere Hispani Carolum, Aulamque Viennensem odio ha-*

est Ludovici amicis aditus, ut pro Borbonia familia apud regem agerent, qui sensim incertum Caroli animum ab Borbonium praeferendum Principem induxerunt. Suaserunt enim, Germanam nationem feram esse et crudelem, cujus jugum exhorrebant jam Hispani, Regum suorum humanitatem experti; regna non esse separanda, quin certa monarchiae jactura sequatur; Ludovicum XIV. potentissimum Regem esse, qui potuisset armis testamentum sustinere, quando in eo alter ejus nepos ex Delphino natus heres declararetur; proindeque consultius esse, hunc prae ceteris eligere (11). Cumque Rex vellet Theologos consulere, neque hi ejus conscientiae satisfacerent, Sanctissimi tunc Pontificis Innocentis XII. judicium expostulatum est, qui die 10. Julii 1700. respondit Hispanis leges, bonumque commune Christiani orbis postulare, ut Princeps e Borbonia stirpe praeferretur. Qua audita Pontificis sententia Carolus tertio testamentum die 2. Octobris confecit, et Philippum Andegavensem Ducem heredem declaravit (12). Tabulis, quae occulte servatae sunt, furtim subscripsit Carolus, cum Regina ab ejus cubiculo abesset (13).

halere, cum eis relatum fuerit, hunc Principem, Leopoldique Ministros contemptim de natione Ibera, tanquam de barbara, vilique gente fuisse locutos, quod quantum superbiae Hispanae displicuerit facile noscitur.

(11) *Praecipuam in Regis animo ad novum sibi eligendum successorem disponendo opem tulerunt Cardinalis Ludovicus Ferdinandus Portocarrero, Toletanus Archiepiscopus, et Comes de Monterey, quos Carolus amabat, quorumque consiliis libenter adhaerebat. Sed plurimum etiam ad rem conficiendam conduxit singularis Ducis de Harcourt Legati Ludovici XIV. comitas, et liberalitas, qui Magnatum Hispaniae, et populorum amorem ad se traxit, atque adeo eos Gallicae Nationi reconciliavit, ut conceptam jam in Germanos indignationem ad extremum exhauserit.*

(12) *Eo sine natis mortuo ad successionem vocavit Ducem de Berris tertium Delphini filium. Hoc etiam sine liberis defuncto, Carolum Leopoldi secundogenitum, et post hunc, si gnatos non genuisset, Victorium Amedeum Sabaudiae Ducem.*

(13) *Maria Anna de Neubourg secunda ejus uxor, quae nimium in cor regis poterat, quaeque Carolum Leopoldi filium Hispano diademate*

Tandem ingravescente morbo Carolus eodem Octobris mense deliquium passus est, dieque prima sequentis Novembris naturæ tributum solvit tricesimo nono ætatis anno. Fuit hic postremus Austriacorum Principum, qui a Carolo V. spatio centum octoginta quatuor annorum Hispaniæ, et Siciliæ habenas tenuerunt. Optimæ frugis Princeps fuit, qui fortassis recte regnasset, nisi frequentibus morbis excruciatus, et a matre, atque uxore circumventus, relictis in aliorum manibus regnorum habenis nomine tenus tantummodo Rex fuerit.

DE

te exornari cupiebat, haud sivisset, Philippum ad eam hereditatem elegi, si presens fuisset, cum testamentum condebatur, et a Carolo subscribebatur. Provide propterea Cardinalis Portocarrero, et Comes de Monterey eo momento testamentum condi curarunt, quo Regina se se in gyneceum receperat.

TAB. VIII. pag. 228

BONIA STIRPE

DE PHILIPPO BORBONIO

ANDEGAVENSIUM DUCE

IV. SICILIÆ, ET V. HISPANIARUM REGE.

Quamquam Philippus testamento Caroli II. Regnorum Hispaniæ, et utriusque Siciliæ, atque Ducatus Mediolanensis fuerit heres declaratus, et qua Hispanica potentia late patebat velut Rex agnitus (1), nihilominus parum abfuit, quin ditiones omnes, ipsamque insulam Regiam amitteret. Angli equidem, et Hollandiæ Respublica temporum conditioni se se accommodantes Philippum ut Hispaniarum Regem salutarunt, etsi contra conventa pacta cum Ludovico XIV. tot regna occuparet; sed Leopoldus Augustus sibi, suisque gnatis injuriam fieri minime passus, bona demortui Caroli armis adsequi statuit, quibus inique se exspoliatum sentiebat. Prætterquam quod enim exercitum in Italiam misit, ut Mediolanensem Ducatum eriperet ex Hispanorum manibus, operam omnem insumpsit, ut a Clemente XI. Regni Neapolitani dominium, quod *investituram* nominant, obtineret (2). Præviderat Rex Christianissimus primos Leopoldi conatus ad Italiam esse convertendos, et propterea fœdere inito cum Sabaudiæ Duce, a quo filiam in novi Regis Hispanici uxorem expostulavit, copias per Alpes misit, quæ simul cum illis, quas Victorius Amedeus subministrabat, Mediolanensi Ducatui defendendo sufficerent. Harum supremus Imperator honoris gratia Dux Sabaudiæ constitutus fuit, sed summa belli Maresciallo de Catinat, viro in re militari probatissimo, concredita est, cui Leopoldus Principem Eugenium de Sabaudia, ducem æque strenuum opposuit.

Cum.

---

(1) *Panormi die ultimo Januarii 1701. inauguratio novi Regis publica sollemnique pompa celebrata est, Majoque insequente ejus simulacrum ex pario marmore affabre elaboratum erectum est, præclaræque marmoreæ stylobatæ impositum fuit prope Januam, quæ ad parvum Portum sita est, et in via maxima Toletana.*

(2) *Anceps diu Pontifex fuit, cupidusque dominium ei concedere, qui victor evasisset, belli exitum exspectabat.*

Cum prospere cuncta Cæsareo exercitui evenirent, nec ductores Gallorum (3) copiarum quidquam proficerent, imo vero in dies Borbonia res pessum iret, statutum Matriti fuit Regem ipsum Philippum in Italiam mittere, ut exercitui præesset. Ad hæc ejus præsentiam pernecessariam esse sagaciores reputabant, quod fama percrebuisset, Victorium Amedeum ejus socerum, quod a Gallis nullo in pretio haberetur, retrorsum vela daturum, et ad Cæsaris insignia accessurum, a quo proposito per ipsum Philippum generum facili negotio revocari poterat. Perrexit itaque in Italiam Catholicus Rex, et postquam brevi Neapoli moratus est, Mediolanum petiit, ubi a Victorio Amedeo perhonorifice exceptus est. Belli facies immutata tunc fuit, urbesque, quas Germani ceperant, in ejus denuo ditionem pervenerunt.

Hieme adventante anni 1702. dilatum ad proximum ver bellum est, atque adsignatæ sunt militibus stationes. Philippus vero in Hispaniam se recepit, quo graviora negotia eumdem advocabant. Scilicet Leopoldus clanculum fœdus cum Anglis Hollandisque pepigerat, qui classem formidabilem paraverant, per quam ingentia damna Gadiæ urbi attulere, ejusque habitatores ad solvendum decies centena millia aureorum coegerunt, et præterea rostratas naves (quod angustias ad extremum auxit) quæ ex America argento, auro, mercibusque onustæ in Hispaniam proficiscebantur in portu Gallæciæ partim incendio absumpserunt, partimque ceperunt, Hispanicis divitiis potiti. Nec tranquilli erant illis in Regnis populi, præcipue Catalauni, quos inter innumeri erant, qui jugum Borbonicum excutere, et Austriacum subire malebant. Quamobrem festinavit Philippus ad sua reverti, et præcipue in Catalauniam properare, ut excitatos motus compesceret.

Dies me deficeret, si bellorum omnium seriem, et instabilis fortunæ vicissitudines referre vellem. Favebat illa in Italia Hispanis, quos domi persequebatur; et hilarem Leopoldo in Belgio faciem osten-

(3) Maresciallo *de Catinat suffectus est Dux de Villarois, quo in vinculis ab hostibus constituto ad Castra advolavit Dux de Vandome, sed incassum isti Principis Eugenii, suarumque copiarum virtutem exsuperare conati sunt.*

ostendebat, dum terga eidem in Germania, Bavariæ Ducem protegens, verterat; ut aptari recte possint quæ cecinerat Horatius (a)

. . . . hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Substulit: hic p suisse gaudet.

Postquam diu sors lusit, visa est constanter Philippum nostrum persequi, nam mutato Ducis Sabaudiæ animo, Petro Lusitaniæ Rege Austriacis, Hollandis, et Anglis adhærescente, Carolo Leopoldi filio cum potenti militum manu Hispaniam invadente, Catalaunis ab ejus dominio recedentibus, brevi Rex noster Fretum Gaditanum, Italiam transpadanam, Neapolitanum Regnum, Belgium, Catalauniam, Sardiniam perdidit, atque Matrito fugere coactus est, quo Carolus ingressus Hispaniarum Rex conclamatus fuit. In Sicilia præterea, ubi jam tum summa perseveraverat tranquillitas, anno 1708. graves Panormi excitati sunt tumultus, qui tametsi non aliam speciosam caussam ostenderent, nisi quod cives illi ægre ferrent Hibernicos milites, quos Comes de Maony duxerat, vere tamen occultam continebant, ut commota nempe plebe Borbonium imperium excuteretur, cui rei præcipue intendebant Prosper Fialdi, et Antonius Guerreri, qui sceleris pœnam condigna morte luerunt. Cumque ab Avo Ludovico XIV., qui, ut Galliam defenderet, copias revocaverat, derelictus esset, atque in pejus res ejus ruerent, eo deventum est, ut titubantem pene in Europa coronam sentiens, cogitaret in Americam proficisci, ibique immorari.

Ludovicus Christianissimus Rex sua, et nepotis dominia susque deque versa inspiciens, pacem cogitur ab hostibus demisso animo petere, quæ duris, et intolerabilibus conditionibus exhibetur. Interim Josephus I., qui Petro Leopoldo anno jam 1705. Vindobonæ mortuo in Imperio successerat, et plusquam viperino odio Borboniam stirpem detestabatur, die decima septima Aprilis anni 1711. immatura ætate raptus est, cujus fatum animos Gallo, et Hispanico Regibus reddidit, qui blanditi sunt se facilius posse speratam consequi

(a) *Carminum lib. I. ode XXXIV.*

qui pacem, cum verisimile non esset Anglos, Hollandos, ceterosque, qui Carolo Austriaco suppetias tulerant, ut Hispanorum Regnis potiretur, nunc passuros, Germani fratris ditionibus, Italiæ Transpadanæ, regnoque Neapolitano, quibus jure succedebat, Hispanicam Monarchiam conjungere, itaque potentissimum, et formidabilem cunctis evadere Principem. Ad hæc cum esset novus eligendus Augustus, nolletque Carolus Imperialem dignitatem ab Austriaca familia in aliam transire, necesse fuit, ut ipse in Germaniam statim proficisceretur, quo Electorum vota facilius sibi compararet.

Hæc ea ratione, qua prævisa fuerant, evenere, discedente a Catalaunia Carolo, belli furor tepescit; fœderati lente agunt, Angli præcipue, nimiam Caroli potentiam formidantes, faciles Gallo, et Hispano Regibus aures exhibent; Ultrajectinum indicitur anno 1712. colloquium, in quo Christianissimi Regis Legati, non ut ante Geltrudebergæ eis evenerat, ab aliis contemnuntur, sed honorifice recepti parem cum ceteris sedem occupant. Præviis conditionibus ab Anglo Oratore propositis, ut scilicet Ludovicus XIV. Jacobum III. Stuardum e suis ditionibus expelleret, et Philippus Regni Gallorum successionem recusaret, datisque induciis, de pace actum est, et post multa, tandem mense Martio anno 1713. statuta est, et sequentis Aprilis die undecima a ministris plenam habentibus potestatem subscripta; qua Philippus pacifice tota Hispania potitus est; Transpadana Italia, et Neapolitanum Regnum Carolo Augusto adsignata sunt; nostrumque Siciliæ regnum Principi per Angliæ Reginam Annam, quæ pacis arbitra fuerat, designando destinatur (4), quæ Victorium Amedeum Sabaudiæ Ducem Philippi socerum selegit (5). Tem-

(4) *Optabat Ludovicus XIV. Galliæ Rex, Maximilianum Emmanuelem, Bavariæ Ducem, quem fidissimum fæderatum, quousque bellum perduraverat, fuerat expertus, Regno Siciliæ potiri, nec cessavit apud Angliæ Reginam officiose pro eo agere, sed incassum; Anna enim Sabaudiæ Ducem eligere maluit.*

(5) *In quodam Diario MSS. Canonici Antonini Mongitori, quod possidet Bibliotheca Senatus Panormitani, legitur mense Aprilis* 1713. *Panormum binas Anglicas naves appulisse, quarum Præfectus collocutus cum Dynasta Catholicæ Principe, retulit Siciliæ Regnum per pacem Ultra-*

Cum Ultrajecti de pace ineunda agebatur, ingens bellum inter Clementem XI. Romanorum Pontificem, et Siciliæ ministros exardescere cœpit, cui incendio faces primo præbuit Nicolaus Tedeschius Liparitanus Antistes levissima ex caussa, deinde nonnulli alii Regni Episcopi, qui diœceses sibi commissas interdicti censuræ injuria subjecere. Diu hæc controversia Insulam afflixit, caussaque fuit æternarum confiscationum, et exiliorum ex parte Regum Philippi V., Victorii Amedei, et Caroli VI., et excommunicationum, quas in regios ministros frequenter Romana Sedes fulminavit, quousque in solio Romano sedente Benedicto XIII. piissimo Pontifice tot scandalis obviam itum est, paxque inita cum Carolo Augusto est, atque confirmatum fuit Regiæ Monarchiæ Tribunal, quod Clemens XI. destruere modis omnibus enitebatur.

Pacem Ultrajecti statutam, sic forte Principe Eugenio de Sabaudia consulente, primo respuit Carolus VI. Imperator, et in Alemannia, et in Belgio cum Gallis bellum substinuit; sed cum in transversum ei cuncta accciderent, et a fœderatis derelinqueretur, tandem cum Christianissimo Rege pactus est, die sexta Martii anni sequentis 1714.

Rebus omnibus compositis Philippus dum pacifice Regna Iberiæ gu-

Gg

trajecti statutam arbitrio Reginæ Annæ ei, quem vellet, destinari; cum vero ipsa Victorium Amedeum præferre cuperet, priusquam animum suum declararet, a Siculis petere, an ejusmodi electio grata Siculis futura esset. Dynasta cum tempus ad respondendum quæsivisset, re cum ceteris collata, Siculorum nomine hoc reddidit responsum, se se a Philippi V. voluntate, cui obtemperare juraverant, non recessuros, eumque in Regem recepturos, quem Princeps ille ab ipsis agnoscendum suis litteris proponeret; quibus auditis Anglus Prætor post paucos dies velis se commisit, et in Angliam rediit. Digna sane commendatione Annæ Reginæ prudentia, quæ noluit nisi Siculis acceptum Regem eligere, nec minorem merentur laudem nostrates, qui caute a ferenda sententia abstinuerunt, debitamque suo Regi obedientiam præ se gesserunt. Ea propter arbitramur Angliæ Reginam post receptam a Siculis responsionem mentem suam Philippo Regi patefecisse, qui postmodum die decima Junii ejusdem anni in gratiam Ducis Sabaudiæ publico instrumento Regnum Siciliæ cessit.

gubernaret, ob mortem Reginæ Mariæ Aloysiæ uxoris mærore oppressus a regimine abstinuit, ut necesse fuerit Cardinalem de Judice Regni habenas tractare, ne ἀναρχία esset. Quæsita statim est nova uxor, atque Julii Alberonii opera ad solium adlecta est Elisabeth Farnesia Ducatus Parmensis heres, quæ virum a tristitia revocans subditis restituit. Alberonius, qui magnam ob has nuptias nactus fuerat apud Reginam Elisabetham gratiam, post paucos menses expulsis illis, qui Regi adstiterant, supremam inter consiliarios obtinuit dignitatem, atque etsi ex infima plebe Placentiæ natus fuerit, Regina intercedente inter Cardinales adscitus est. Cumque summa rerum in ejus manibus esset, anno 1718. cogitavit Sardiniam, et Siciliam repetere, præparata classe cum copiis, cujus imperium Marchioni de Leyde concreditum est. Hic captam Sardiniam magna ex parte occupat, quæ belli theatrum evasit, pugnantibus ad annum usque 1720. Sabaudis Hispanis, Cæsareis terrestri, et navali bello Hispanis eisdem, et Anglis, quorum præfectus classis fuerat celebris Binkius. Tandem Philippus, postquam Alberonius agentibus Aulis Galliæ, et Angliæ a Ministerio, et Regnis Hispanis ejectus fuit, quadruplici fœderi adhæsit, voluitque, ut Sicilia Carulo VI. Augusto, Sardinia vero Victorio Amedeo, antehac Siciliæ Regi, traderetur.

Tædebat Philippum tot bellorum, quæ substinuerat, ex quo Hispanicum dominium receperat: viginti enim annorum spatio irrequietus ejus animus usque fuerat. Quapropter tranquillitatem exoptans, postquam anno 1721. pacem cum Anglis constituit, de resignandis regnis, deque vitæ privatæ deliciis gustandis cogitavit, compositisque Hispaniæ rebus, tandem anno 1724. die 15. Januarii regium diadema in manus Ludovici ejus primogeniti, qui vix sedecim annos attigerat, deposuit, et ad Sanctum Ildelphonsum, ut propriæ saluti consuleret, beatamque vitam viveret, se recepit. Sed ab eo recessu brevi revocatus est; Ludovicus enim post septem menses pustularum morbo correptus Augusti ejusdem anni postremo die septendecim cum jam esset annorum obiit. Eamobrem Philippus suorum precibus acquiescens solium Hispanum iterum conscendit, in quo, quoad vixit, permansit. Complura eo noviter regnante gesta fuere, quæ summis labiis delibare juvat. Jam tum igitur ut Elisabethæ Reginæ desideriis faceret satis cogitare cœpit, quemadmodum Carolum secundis nuptiis sibi natum ad Ducatum Parmensem, et Placentinum, cujus Elisabeth erat heres, et ad Tusciæ quoque Ducatum eve-
he-

heret, egitque cum Regibus Galliæ, et Angliæ, qui inito die 9. Novembris an. 1729. cum eo Hispali fœdere, ducatus ejusmodi defensuros, et ejus filiis conservaturos promiserunt, quando Antonius Parmensis Dux, et Cosmus Tusciæ magnus Dux fatis cessissent. Et cum Antonius anno 1731. ultimum jam obiisset diem, ejus ducatus Infans Carolus dux declaratur, ejusque nomine Dorothea vidua Francisci ante Antonium demortui in possessionem immittitur.

Post hæc bellum Philippus Carolo VI. Augusto declaravit anno 1733. missoque in Italiam cum Infante Carolo exercitu Neapolitanum regnum, et deinde Siciliam Insulam occupavit, de qua re fusius, cum de immortali Carolo agemus. Sic collocato in Regio Solio Carolo Elisabethæ primogenito, optavit ambitiosa Princeps alterum ex filiis Philippum ducali saltem Placentiæ, et Parmæ galero exornare, annoque 1741. præparato exercitu, cujus præcipuus Dux constituitur Comes de Glimes, a viro obtinuit, ut hic Infans in Italiam pergeret. Venit is, et principio Sabaudia potitus est, sed Sardiniæ Rege classicum contra eum canente, retrogredi coactus est, et in Delphinatum se reducere. Biennio post, videlicet anno 1740. Philippus Infans a Ludovico XV. Galliarum Rege, cujus filiam uxorem duxerat, adjutus, suas cum Gallicis copiis conjungens Pedemontium aggressus, insignes obtinuit adversus Sardiniæ Regem victorias, eoque ipso tempore Comes de Gages, qui alterum duxerat in Italiam Hispanum exercitum, cui Neapolitani Regis, ducisque Mutinensis additæ copiæ sunt, æque prosperum expertus est Martem.

Sed cum hæc in Italia perigerentur, Philippus V. anno ætatis sexagesimo tertio, die nona Julii anno 1746. defunctus est, quem Hispani multis lacrymis perdidisse indoluerunt; fuit enim in tolerandis adversitatibus constantissimus, subditos paterno vero amore dilexit, justitiam coluit, atque regnorum suorum felicitatem, quantum calamitates ejus temporis sinebant, procuravit. Duxerat ipse primis nuptiis anno 1701. uxorem Aloysiam Mariam Gabrielem, Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis filiam, quæ ei genuit Ludovicum, de quo egimus; Philippum, qui in incunabulis mortuus fuit, Philippum Petrum Gabrielem, qui post sex menses ab ortu raptus est, et Ferdinandum, qui ei in Hispanicis Regnis successit. Mortua Aloysia, ut diximus, statim ad secunda vota convolavit, Elisabetham Farnesiam sibi seligens uxorem, a qua habuit Carolum Neapolis Regem, qui dum Hispaniam gloriose moderaretur, fato cessit, Phi-

lippum Parmensem Ducem, qui anno 1765. vivere desiit, Aloysium Antonium, qui perraro exemplo lactens adhuc Archiepiscopus Toletanus, et Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, electus fuit, quas dignitates anno deinde 1754. sponte dimisit; ex filiabus vero Mariam Annam Victoriam Lusitaniæ Reginam, Mariam Theresiam Ludovico Delphino nuptam, et Mariam Antoniam Ferdinandam, quam duxit Victor Amedeus IV. Dux Sabaudiæ, qui modo Sardiniæ sceptra tenet.

DE

DE VICTORIO AMEDEO

SABAUDIÆ DUCE,

ET PRIMO SICILIÆ REGE.

RECusato per Philippum V. Siculo imperio, Victorius Amedeus II. Sabaudiæ Dux die 22. Septembris sollemniter Taurini Rex Siciliæ conclamatur, statimque Carolum Requesenium Panormum misit, qui litteras ejus regis attulit, ad Regni Procuratores, Senatumque hujus principis Urbis missas, quibus sese jam Insulæ dominium publice cepisse, et quamprimum ut regium susciperet diadema, ad eos properaturum declaravit. Parata deinde Anglica Classe in portu *Villæfranchæ* novus Rex Annam de Orleans Reginam uxorem secum ducens, suæque aulæ proceres, et sex mille milites, tertio Octobris Prætoriam conscendit, secundisque ventis navigavit, spatioque septem dierum Panormum advenit, decimo videlicet enunciati mensis. Noluit in urbem ingredi, nisi prius arces præsidio destituerentur, quod insequenti die factum est, quo Hispani milites Castella Sabaudis dimiserunt. His peractis vespere ejusdem diei cymbæ sericis pannis ornatæ se cum Regina committens e maximo portu ad parvum venit, ubi Senatus Urbis, Dynastæ, Magistratusque adstabant, a quibus perhonorifice exceptus, nobilique rheda vectus per viam Toletanam aulæis vestitam, cereisque facibus illustratam ad Templum maximum perrexit, ubi de felici itinere gratias Deo Immortali reddidit, ed ad regale Palatium deinde, populo immenso spectante, novisque regibus plaudente, venit.

Privatus hic fuit Regis, Reginæque ingressus, sollemnis, cum essent complura præparanda, ad diem vicesimum primum Decembris dilatus fuit: quo jam completo, post triduum in eodem Majori Templo Victorius una cum Anna uxore Regium Diadema recepit, et more regum inunctus est, ob quam faustam festivitatem numismata in officina Regia cusa sunt, in quibus novi Regis imago expressa est, apposita epigraphe: VICTOR AME. D. G. REX. SICILIÆ. IERUSALEM. ET. CYPRI. MDCCXIII. et ad Templi fores ad æternam coronationis ejusmodi memoriam marmor eam indicans fuit collocatum.

Quanta Siculi, et Panormitæ præsertim, lætitia exultaverint proprium

prium Regem secum morantem inspicientes, quod ipsis ab Alphonso Aragonio, qui nec diu apud eos manserat, nunquam postea acciderat, verbis eloqui minime necessum est. Principis præsentia populi hilarescunt, cum sciant locupletari civitates, artes foveri, commercium augeri, justitiam recte administrari. Sed majori gaudio jure optimo affecti sunt, cum cognoverint se Regem nactos esse, qui in bellica virtute, inque perardua regnandi arte parem neminem haberet, quique vigil in omnibus, et tot dotibus ornatus Siciliam ad pristinum, in quo Græcorum ætate fuerat, splendorem evexisset, si diutius nobiscum fuisset versatus. Vere optimus hic Rex statim ac infula regia fuit insignitus, ad bonum publicum Siciliæ procurandum cogitationes omnes convertit; vias insulæ a furibus, qui eas infestabant, præscriptis adversus eorum fautores, et patronos gravibus pœnis, illico liberavit, naves onerarias ad merces exportandas fabricari jussit, luxum, ludosque severa Pragmatica cohibuit, aliasque utiles promulgavit leges, quæ ad tranquillitatem et opulentiam Regni universi procurandam plurimum conducebant.

Dum vero Siculi dulces hujus regiminis fructus degustant, seseque diu fruituros sperant, Victorius Amedeus, qui Siciliam ut lustraret, Panormo egressus fuerat, decimonono Aprilis anni 1714. post quatuor menses in hanc principem urbem rediens die quinta Septembris Regnum deseruit, Comitemque Annibalem Maffejum, qui ejus apud nos vices gereret, destinavit. Ipse vero navibus Anglicis Genuam vectus est, qua ex Urbe Taurinum feliciter pervenit.

Tametsi nostrates Victorii Amedei discessum defleverint, solabatur nihilominus eos dulcissima Comitis Maffeji administratio, qui quantum per se potuit Siculorum commodis prospexit; promovit enim artes, scientiasque, secura reddidit Insulæ itinera, judices in officio continuit, mercatoribus animos addidit. Unum fuit, de quo conquererentur, nimius scilicet rigor, quo ob natum, ut monuimus, Sedem inter Romanam, et Siciliæ Monarchiam sacrum bellum vexabantur a regiis Ministris ad hoc negotium peculiari Regis decreto destinatis cives, qui Papæ favebant, vel scrupulosa conscientia cum illis communicare detrectabant, quos Romanus Pontifex a fidelium cœtu excluserat. Vix, aut ne vix quidem verbis exprimi possunt calamitates, quas eam ob rem annis 1715. 1716. 1717. et 1718. Sicilia perpessa est. Romana Sedes spirans minarum, et cædium, excommunicationes, interdicta, suspensionesque a sacris ordinibus, atque a divi-

divinis officiis cotidie jaculabatur, Regis administri in singulos dies hos carceri mancipabant, illos exilio mulctabant, eorum bona fisco addicebant. Verum hæc Viceregis culpa minime accidebant, cum eo inconsulto, Victorius Tribunali ob hanc rem erecto absolutam concesserit auctoritatem, ut Maffejo nil reliquum fuerit, nisi barbaros judices admonere, ut ab hac tam sæva persecutione desisterent.

Interim cum esset summa rerum in Hispania Julio Alberonio concredita, audax hic Purpuratus postquam Regium ærarium ditavit, regiasque vires adauxit, cogitavit, ut in Philippo diximus, imperium dilatare, et Sardinia Carolum Augustum, Sicilia Victorium Amedeum exspoliare. Quod ad hunc attinet, ne fraudem detegeret, versipellis Alberonius de Ducatu Mediolanensi conjunctis copiis aggrediendo diu egit, suasitque Victorio Amedeo, ut milites, et tormenta bellica e Sicilia educeret, ut facilius statuta aggressio perficeretur. Pontificem quoque Clementem XI. fefellit, fingens se velle adversus Afros arma ferre, et *Oranum* antehac a Mauris captam resumere, adeo vero Regis nostri ceteroqui sollertissimi animum fascinatis verbis sopivit, ut ad Maffejum Comitem scripserit, ne classem Hispanicam pertimesceret, amica enim erat, et aliorsum navigabat; eique præcepit, ut universa, quibus indigere posset, suppeditaret.

Dum morboso hoc somno Pontifex, Rex Amedeus, ipseque Augustus Carolus VI. obdormirent, (Gallia enim, et Anglia famæ Africi belli nusquam acquieverant) egressis navalibus ex Hispanis portubus mense Augusto anni 1717. exercitus Sardiniam versus ductus est, et Calaris, princeps ejus insulæ urbs, cincta obsidione est, quæ cum imparata esset, brevi Philippi V. jugum suscepit, quam et ceteræ Civitates ejus Insulæ sunt imitatæ. Capta Sardinia Junio mense sequentis anni 1718. Marchio de Leyde supremus exercitus Imperator cum classe, et potentiore militum manu e Calaris portu egreditur, nec ipse sciens quid agendum sibi esset; id unum præscriptum ei fuerat, ut in mare Siculum navigaret, ibique, cum pervenisset, regias aperiret litteras, quibus erat de nova hac expeditione instruendus. Reserato itaque nostro in mari regio diplomate legit, sibi Siciliæ potiundæ curam demandari, atque ut ab obsidione principis urbis exordiretur, præscribi. Quæ cum audisset, ceterisque ducibus manifestasset, imperavit gubernatoribus, ut Panormum versus navium proras dirigerent.

Apparuere navales copiæ non longe ab hac urbe die tricesimo Ju-

Junii, et postridie Mongerbino appropinquantes (1) exercitum terræ exposuerunt. Quod cum nuntiatum Comiti Maffejo fuerit, neque posset urbem militibus destitutam tueri, munitis Castris Himezrensi, et Drepanensi, relictisque in Castello Panormitano militibus mille, sibi, suisque consulens V. Nonas Julii Panormo excessit, et Syracusas se recepit. Senatus interim de urbis deditione cum Marchione de Leyde egit, atque honorificis obtentis pactis, quæ eodem signata sunt die, claves consignavit. IV. Nonas ejusdem mensis copiæ Panormum ingressæ sunt; pridie Marchio de Leyde conventa pacta se servaturum in Templo maximo jurejurando confirmaverat, et ut novus Prorex Siciliæ deinde egit. Sed interim ut summus Imperator Thermarum, Drepani, Messanæ, et Mylarum castra aggreditur, Hispanæque ditioni, Mylis exceptis, subegit.

Perfidia Cardinalis Alberonii irritati Carolus VI., qui Sardiniam perdiderat, et Victorius Amedeus, qui Siciliæ Regno exturbabatur, ab Anglis implorarunt, ut ad Ultrajectinam pacem, cujus sponsores fuerant, sartam tectam servandam Hispanos coercerent. Peramice id primo a Georgio I. tentatum est, sed Administro imperiose recusante, fœdus cum Gallo Rege, Augusto Carolo, et Victorio Rege iniit Anglus Rex, atque Londini adsistentibus ceterorum Principum Legatis statutum est, male acquisitis Hispanum Regnum esse exspoliandum, et Siciliam Carolo VI. Imperatori, Sardiniam vero Victorio Amedeo esse tribuendas. Cui partitioni cum nollet Hispanus Rex consentire, V. Idus Januarias Parisiis indictum ei bellum est quatuor Principum fœderatorum nomine. Haud propterea perterritus Alberonius est, sed novis occultis consiliis Anglis, Gallisque secretos cuniculos præparavit, illis quidem, cum Hibernico in Regno tumultus suscitaverit, et S. Georgii Equitem, Jacobum scilicet III. Annæ Stuardæ fratrem Matritum vocaverit, ut cum classe jam pa-

(1) *Turrium, quæ circum Panormum sunt, custodes statim ac Classem Hispanam intuiti sunt, in Urbes descendentes, S[illegible]um de ea re monuerunt, Hyccaræque Dynasta non destitit nuntios, qui certiorem ipsum facerent, ad Proregem mittere. Sed Maffejus Victorii Amedei Epistolis fisus, ne nihilum quidem formidabat, immo ferunt eumdem impavidum e Palatii fenestris, telescopio adhibito, summa cum voluptate nauticas illas copias conspexisse.*

parata Regnum illud occuparet; his vero, cum Legati Hispanici Ducis de Cellammare ope Ducem Aurelianensem ab infantis Ludovici XV. tutela exturbare conatus fuerit, suggerens, reapse Philippum V. pupilli Principis tutorem esse debere, ut qui esset sanguine propinquior, jusque morte interveniente ad Galliæ Regnum præ ceteris sibi vindicaret. Sed incassum technis ejusmodi Julius elaboravit (2).

Itaque in Regno Siciliæ restauratum bellum est. Sub finem Maji mensis ejusdem anni 1718. Exercitus peditatûs, et equitatûs octodecim millium numerum exsuperans, quem Carolus VI. Neapoli præparari jusserat, e Bajano sinu egreditur ab Anglica classe, cui Binghius præerat, ductus, ad Pactarum littora venit, ubi e navibus descendens ad amnem Oliveris prope Mylas pergit, ibique castrametatur. Hujus Dux constitutus fuerat Claudius Florimundus Comes de Mercy, Eugenii Principis alumnus, vir animi audacia nemini secundus. Ecce itaque tibi Sicilia aperto Marti exposita, cujus eo miserior erat conditio, quia nesciebat, cujus nam dominio erat subjicienda; hinc enim Hispanos, illinc Theutonicos, hinc Sabaudos, illinc Anglos terra marique experiebatur duros, crudelesque dominos. Biennio pugnatum hos inter hostes est, calamitosissima pro Siculis tempestate, quorum domus dilapidatæ sunt, arbores excisæ, segetes flammis absumptæ, armenta destructa, uno verbo bona cuncta dissipata sunt.

Quid vero refert infandum avorum nostrorum dolorem renovare! Ejecto a Ministerio Cardinali Alberonio, Philippus V. clades Siciliæ sentiens, pacem exoptare cœpit; atque Hollandiæ Rempublicam pacis sequestrem elegit, qua non recte se gerente (fœderati enim a statutis Londini articulis recedere minime voluerunt) coactus est Sardiniam Victorio, Siciliam Carolo VI. deserere, nec aliud obtinere adsciti sequestris opera potuit, nisi jus in filiorum, quos ab Eli-

(2) *Classem enim, cum in Hiberniam navigabat, subitus turbo circumvadit, et dispergit, cogitque in Hispaniam remeare, Aurelianensis Dux collectis copiis Navarram invadit, brevique plurimarum potitur civitatum. Utraque vero Natio tandem agit apud Reginam Elisabetham, quam jam imperiosi Alberonii tædebat, ut hic administer a Regno Hispanico expellatur.*

Elisabetha susceperat, gratiam, ad Ducatum Parmensem, et Tuscum, modo Dux Franciscus Farnensis, et Dux Joannes Antonius Mediceus, nulla relicta prole, morerentur. Conclusa hæc pax Hagæ est XIII. Kalend. Mart. an. MDCCXX. In Sicilia vero ab armis minime cessatum est, nisi sexta Maji die, subscribentibus paci Marchione de Leyda, Comite de Mercy, et Binghio Classis Anglicæ præfecto. Quibus peractis Hispanæ copiæ castra deseruere, et Comes de Mercy, Caroli VI. vice Siciliæ dominium in majori Ecclesia duodecimo sequentis Junii suscepit.

E Rege Siciliæ factus Sardiniæ Rex Victorius Amedeus, titulo quidem non immutato, sed re maximopere diminuta, nostrum hic non est, quæ in Sabaudia gessit, distincte describere. Id unum observatione dignum est, hunc Regem anno 1730. diadema Carolo Emmanueli filio cessisse, ut viduam Comitis S. Sebastiani, quam deperibat, sibi uxorem conjungeret, cujus importunis precibus fatigatus cum insequenti anno relictum Regnum resumere tentasset, Carolus suorum Consiliariorum voto, sic bono Reipublicæ suadente, quamvis invitus, una cum uxore in Rivoliam arcem eumdem relegavit, in qua postremo Octobris die anni 1732. fatis cessit. Duxerat Victorius primo Annam Mariam Aurelianensem, quæ Taurini anno 1728. obiit, ex qua habuit Victorium Amedeum Josephum, qui adolescens sedecim annorum mortuus fuit anno 1715., et Carolum Emmanuelem, qui ei successit, et præter hos duas filias Mariam Adelaidam, quæ Ludovico Burgundiæ Duci tradita in uxorem est, et Aloysiam Gabrielem, quæ Philippo V. Hispaniarum regi nupsit.

DE

DE CAROLO VI.

AUSTRIACO IMPERATORE,

ET (1) SICILIÆ REGE.

CArolus Archidux Austriæ alter Leopoldi Augusti filius ex Eleonora Magdalena de Neomburg eidem natus, postquam mortuo Carolo II. ex altera Austriaca stirpe Hispaniæ Rege pene omnem Catalauniam bello obtinuit, cumque parum abesset, quin universæ Hispaniæ principatu potiretur, mortuo Josepho fratre Augusto, fœderatis ejusdem nolentibus imperium sub uno eodemque capite cum Hispanis Regnis conjungi; maluit certam fraternam hereditatem, et imperialem dignitatem indipisci, quam incerta spe bellum in Hispania prosequi. Quapropter relicta, ubi morabatur, Barcinone, in Germaniam ad paterna bona administranda rediit, ubi in Francofurtiensi conventu die duodecimo Octobris anni 1711. ad Imperialem dignitatem evectus est, et vicesimo secundo Decembris diademate Cæsarum ornatus. Quamvis vero a bello non tunc destiterit, et in Belgio pugnaverit, inita nihilominus, Annæ Anglorum Reginæ opera, inter bellantes pace Hispanicis Regnis vale dixit, sed obtinuit Belgium Hispanum, Neapolis, et Sardiniæ Regna, Ducatumque Mediolanensem. Anno deinde 1716. arma adversus Turcas movit, et Principe Eugenio de Sabaudia rem militarem moderante ad eas Mahumedanos redegit angustias, ut jamjam de Orientali Imperio conservando desperarent. Dum christiano orbi consulit, hostesque ejus infensissimos, quam longissime amovet, retrahitur a bello turcico per Julium Alberonium, qui unus erat ex Ecclesiæ Cardinalibus, qui missa classe (ut diximus) Sardiniam adoritur, minaturque post

 oc-

(1) *Augustum hunc Carolum nec tertium, nec quartum dicimus, quod e numero legitimorum nostrorum Regum excludatur, quasi non hereditario jure, sed vi, et armis Sicilia potitus fuerit, eamque quatuordecim annorum spatio conservaverit. Ceterum si numerus Regum hujus nominis, qui apud nos dominati sunt, inspiciatur, hic quartus fuit inter Carolos, et si Carolum I. Andegavensem excludere malis, tertius.*

occupatam Siciliam, Neapolitanum Regnum invadere, quam ob caussam cogitur pacem cum Mahumedanis inire, quæ 21. Julii firmata est, copiasque in Italiam, ut sua tueretur, destinare, per quas Hispanos e Sicilia, qua ferme potiti fuerant, expulit, atque Insulæ nostræ dominium nactus est, eadem deinde commutata cum Sardinia, cujus Rex Victorius Amedeus declaratur; quemadmodum hæc moda indicata sunt.

Eodem anno 1720., quo recedentibus Hispanis, Germani Panormum ingressi sunt, Comesque de Mercy Augusti nomine urbis principis, totiusque Regni principatum suscepit, Senatus Populusque Panormitanus diem festum designavit, quo novus Rex Carolus Augustus conclamaretur, postremum nempe Septembris, quo numismata etiam faustam ob hanc caussam cusa sunt. Interfuit sollemnitati Dux de Monteleone a Cæsare ad supremum Proregis munus electus, qui senio confectus cum equitare, ut adsolent Dynastæ, Senatores, et Ministri, minime posset, rheda vectus ceteros sequebatur.

Siciliæ regimen quatuordecim annorum spatio tenuit Carolus, quam belli calamitatibus oppressam reperit, et quod pejus est, domesticis dissidiis discerptam, quæ controversiæ Romanam inter Sedem, et Regios ministros pepererant. Quamvis enim pars Regni Regalia jura sustineret, non deerant nihilominus, qui Papæ plus æquo obtemperantes, regiis decretis subjici recusabant. Id itaque Carolus principio animo revolvit, ut has cum Romana Aula lites resecaret, salvisque Siculi Diadematis juribus, cum Pontifice pacisceretur. Speranda equidem pax a Clemente XI. præfracti animi, propositique tenace Pontifice minime erat; sed eo mortuo mense Martio anni 1721. in ejusque locum suffecto Michaele Angelo de Comitibus, qui Innocentii XIII. nomen adsumpsit, pio, sagaci, et pacis amante, certa quædam fiducia bonorum omnium animos pervasit, futurum, ut tam præclara Capita Sacerdotii, et Imperii amice conjurarent, modumque scandalosis dissidiis imponerent. Lubens Innocentius concordiæ stabiliendæ accessit, sed morte præventus (nec enim annum in Pontificatu duxit) rem complere minime potuit, quam deinde perfecit Benedictus XIII. ex Orsinia stirpe, contra omnium exspectationem ad supremum Pontificatum evectus, quamvis non tam brevi, ut Pontifex cupiebat; Curiales enim Romani, qui negotia perturbare consuescunt, sive ut Apostolicæ Sedis auctoritatem extendant, sive ut litibus ditescant, novas semper, novasque ad pacem differendam intermiscebant difficultates, nec finis alter-

tercandi factus est, nisi anno 1728. quo tertio decimo Augusti die Bulla circa Siculam Monarchiam, quæ *Benedictina* ab hoc Pontifice dicta est, promulgata Romæ est, per quam, excisis omnibus controversiis, Tribunal Regiæ Monarchiæ confirmatum est, eique justi agendi limites præscripti sunt. Quæ res universam Siciliam ingenti lætitia affecit.

Dum paci cum Romana Sede consuleret Carolus Augustus, multa egit, quæ ad procurandam Siciliæ tranquillitatem conducerent, quæ inter non ultimum obtinet locum conventio cum Tripolitanis, et Tunetanis anno 1726., et sequenti anno cum Mauritanis Cæsareis (2) opem ferente Constantinopolitano Imperatore; quæ res vix dici potest, quantum securitati Siculorum, commerciique maritimi incremento profuerit; maria enim a piratarum incursionibus libera evaserunt. Pactus etiam Augustus hic Princeps fuit anno 1725. cum Philippo V. Hispaniarum Rege. Cum enim primum nec Carolus juribus, quæ in Hispanica Regna se habere contendebat, nec Philippus Belgio, Ducatui Mediolanensi, Regnisque utriusque Siciliæ sollemniter cesserint, Principes reliqui, qui Londinensem pacem defendebant, statuerant Cameraci congressum fieri, ubi expensis utriusque Principis rationibus finis huic controversiæ imponeretur, novorumque bellorum occasiones tollerentur. Trium annorum spatio nihil Cameraci conclusum est; quousque aliis ducti caussis Carolus, et Philippus peculiarem concordiam inter se inivere, quæ Vindobonæ tricesimo die

(2) *Mauritani etsi pacem non recusarent, hanc nihilominus conditionem a Carolo Augusto expostulabant, ut Equitibus S. Joannis Hierosolymitani, quos Melitenses vocant, præciperet, ne amplius eos suis triremibus, classicisque navibus persequerentur, quod idem propemodum fuisset, ac eorum Institutum e fundamentis evellere. Non leviter insudarunt Caroli Legati, ut ostenderent, id in Augusti potestate non esse, cum Equites illi, excepto quod quotannis Falconem in signum dominii in Melitensem Insulam eique adjecta Proregi offerrent, levibusque aliis pactis, quæ in Caroli V. diplomate prostant, in reliquis liberrimi essent; neque in politicis, aut militaribus negotiis a Serenissimis Siciliæ Regibus dependerent. Convicti tandem a petita conditione recesserunt, et die Martii octava anni 1727. Constantinopoli paci subscripsere, quam tamen, jurisjurandi parum solliciti, post pauca violarunt.*

Liburni in Argao Portu, Parmæque, et Placentiæ exsistentes, non ut prius ab Helvetiis, sed ab Hispanis militibus custodirentur. Molestum Carolo fuit Philippum cum Anglis societatem suscepisse, Hispanos in Italiam introduci, nec in Hispalensi conventu ullam injectam esse mentionem subjectionis Ducatuum Tusciæ, et Parmæ Romano Imperio. Et præterea suspicatus est in hac conventione latere anguem, aliamque forte caussam esse, cur Hispanæ copiæ in Italiam descenderent. Quare, ut suis ditionibus caveret, quas ibidem possidebat, utque id exsecutioni mandaretur, quod a quadruplici fœderatione anno 1720. fuerat sancitum, Ducatus nempe ejusmodi, nonnisi prius recepto ab Imperatore dominio, non posse Carolum Infantem consequi, exercitum triginta millium militum in Italiam proficisci jussit, cujus Imperium Comiti de Mercy tradidit, qui eas in regiones veniens copias ita distribuit, ut major earum pars Mediolanensi, et Mantuano in principatu moraretur, reliqua in ducatu Massæ consisteret, ut in Etruriam pergeret Hispanorum ingressum impeditura. Joannem quoque Gastonium Mediceum adegit, ut sibi tamquam Imperii Capiti Senensis civitatis et agri possessionem acceptam referret, atque Hispano Legato Florentiæ moranti declararet, se viribus omnibus, ne pedem illuc copiæ Hispanæ inferrent, prohibiturum. Præterea novas copias Neapolim, et in Siciliam misit, præcepitque Proregibus, ut Regna sibi commissa defenderent.

Novus hic militum apparatus, proximi belli nuncius, in caussa fuit, cur Siculi, qui adhuc Carolum VI. optimum Principem sincero corde dilexerant, non amplius amaverint, ejusque jugum exsecrati fuerint. Vallius enim, quem Imperator ad bellicas res parandas destinaverat, innumeros secum duxit milites, nec obulum attulit, quo tanta gens viveret, castra Siciliæ restaurarentur, reque frumentaria, ceterisque ad defensionem necessariis munirentur. Quapropter, cum assiduis postulationibus efflagitaret, ut pecuniæ pro exercitu, et castris suppeditarentur, nec quidquam esset in Regio ærario, necesse fuit, gravia cunctis imponere vectigalia, reditus eorum, qui Sicilia aberant, fisco adjudicare, mercatores cogere, ut ingentes nummorum summas commodarent, emerentque jus frumenta extrahendi, quod *Tratta* nostris dicitur, tametsi frumentum, quod mitterent, minime haberent, et sub specie militaris servitii Dynastas adigere, ut pro singulis hominum, quos belli tempore subministrare tenentur, vigintiquinque aurea solverent. Cum vero modica es-

essent hujusmodi subsidia, adactus Panormitanus Senatus est, ut quinquaginta mille aurea ab Arca populi, quam *Columnam frumentariam* nuncupant, educeret; et Clerici, qui ob eam, qua gaudent, immunitatem, parvulam quamdam pecuniæ vim a Procuratoribus novorum vectigalium quotannis trahunt, huic pro alendis militibus cedere jussi sunt. At tantus belli apparatus, tam ingenti tributorum onere instructus ad irritum cecidit; cum hoc anno, neque apud nos, neque in Italia bellum exarserit; immo vero non solum mortuo Antonio Farnesio Carolus Infans statim ab Imperialibus velut legitimus Ducatus Parmensis Dux agnitus est, sed etiam Augustus ipse Carolus VI. paulo post Hispalensi fœderationi adhæsit, cui die 22. Julii anni 1731. Vindobonæ subscripsit, sivitque, ut sex mille Hispani Etruriæ portus, et Castella custodirent: interim vero dum caduceatores Augusti Italiam, Galliam, Angliam, ceteraque fœderata regna peragrabant, in Sicilia, quasi hostis ad fores esset, arces maritimæ muniebantur, novisque tributis populi vexabantur.

Eo in statu res mansit, ad annum usque 1732. Sed ineunte anno 1733. reclusum Jani templum est. Fatis cesserat Kalendis Februarii Ferdinandus Augustus Poloniæ Rex, et Saxoniæ Elector, cumque de constituendo novo rege ageretur, Ludovicus XV. Stanislaum Leszonzinskium socerum suum, qui ab anno 1704. illi regno præfectus fuerat ab eodem expulsus, denuo in Poloniæ Principatu constituere cupiens, copiis munitum in eam Rempublicam incognitum misit, atque amicorum ope obtinuit, ut Rex Poloniæ eligeretur. Injucundum id Carolo Augusto, atque Annæ Iwanownæ Moscoscythicæ Imperatrici accidit, qui nolebant Principem tot vinculis Galliæ Regi adstrictum in Polonia, quæ eorum regnis adeo proxima est, regnare; quapropter collectis copiis Lithuaniæ Palatinos (sic vocant) coegere, ut Federicum demortui filium in regem adsumerent. Adversus Carolum propterea irritatus Ludovicus XV. bellum eidem in Italia excitare voluit, initoque cum Hispano Rege, et cum Victorio Amedeo Sardiniæ domino fœdere, in Ducatum Mediolanensem irrupit.

Gallis, Sabaudisque in Mediolanensi Principatu classicum adversus Cæsarem canentibus, diversasque civitates occupantibus, de qua re nostrum haud est plura dicere, Carolus Infans, qui anno 1732. jam Parmensi Ducatu fruebatur, a Patre supremus Hispanarum copiarum Imperator eligitur, eique exercitus paratur; nam præter paucos, quos secum habebat Hispanos, et sex mille alios, qui Etruriæ Castra, ut di-

diximus, custodiebant, armatis, quibus bellum gereret, carebat. Genuam Hispanica classis appulit, milites innumeros adferens, et præterea quatuor mille equites e Septimania ibidem pervenere, qui omnis peditatus, equitatusque Etruriam versus commeavit. Cum ingens adeo militum numerus superfluus Etruriæ substinendæ videretur, jam tum detectum est, alio hæc præparati, et utriusque forte Siciliæ dominium, favore hujus Infantis assequi Aulæ Hispanæ cordi esse. Hoc tamen anno nil militare actum est, si excipias arcis Bullæ, quæ in ea Italiæ parte, quæ *Lunisiana* dicitur, sita et, quæque ab Germanis custodiebatur, obsessionem, quæ, Castropignano militias conducente, facta est, qui die 24. Decembris Cæsareos expulit, eaque Infantis Caroli nomine potitus fuit. Quod necessarium erat, ut ab Etruria ad Parmensem Ducatum pateret iter.

Vix annus 1734. adparuerat, cum Florentia egressus Infans Carolus Senas venit, ubi exercitus fuerat castrametatus, eaque ex civitate iter capiens cadente Februario Romam versus perrexit; dieque decimaquinta Martii Tyberim transmeavit. Interim classis Hispana in portu ad Centum cellas visa est, cujus Præfectus statim octo bellicas naves ad Ænariam, et Prochytam Regni Neapolitani insulas misit, quæ nullo negotio easdem subegere. Appropinquans vero Serenissimus Infans ejusdem regni confiniis, quasi ad propria migraret, qui progressum vetaret, neminem invenit, et per Volturnum libere cum exercitu transiens Magdalonum die nona Aprilis pervenit, ubi ab Electis Neapolis salutatus est, qui claves urbis in signum submissionis eidem obtulerunt. Sequenti die Hispanorum tria millia Neapolim occuparunt, Castris exceptis, infans vero Aversam venit exspectans Cæsareorum, qui eadem custodiebant, deditionem, quod brevi factum est, die enim sexta Maji arces omnes civitatis in ejus manus venere. Post quatuor dies Carolus, plaudente populo universo, Neapolim ingressus est, ejusque adventus artificiosis, ut nuncupant, ignibus, nocturnis urbis illustrationibus, aliisque festivis civium signis celebratus fuit, quæ adaucta deinde sunt, quando decimoquinto ejusdem mensis Tabellarius e Matrito veniens Philippi V. syngrapham attulit, per quam Carolus utriusque Siciliæ Rex declarabatur.

Neapolitanis præ gaudio gestientibus, acerbis violentisque exactionibus nostrates angebantur, Comes enim de Sastago Prorex Ordines Regni Panormi convocat, adegitque, ut quæ statuta in colloquio anni 1732. exigi haud poterant vectigalia, in alia facilioris exa-

ctionis commutarent (3): cum vero hæc minime sufficerent, fisco eorum bona, qui Hispaniæ, et Sardiniæ Regibus inserviebant, addici jussit, si post bimensem in Siciliam non redirent, præcepitque, ut quæ ob immunitatem Regularibus, Clericisque solvebantur in Ærarii Regii bonum cederent. Ad hæc cum milites per Siciliam ad custodiendas arces distribuerentur, et per urbes, et oppida gradientes, essent alendi, et hospitio excipiendi, onus, et molestiam non levem habitatoribus importabant.

Ab his tandem erepti angustiis fuere nostri medio Junio, cum Hispanæ Triremes in mari Siculo visæ sunt, quæ tametsi nihil tunc molitæ fuerint, monuere nihilominus Proregem, proximum esse Hispanorum adventum, qui propterea, ut sibi consuleret, Panormum liquit, et Syracusas petiit, quo complures copias antehac miserat. Ad finem autem vergente Augusto mense, die nempe ejusdem vicesimo octavo classis Regia apparuit, quæ sequenti die ad Solunti littora accessit, et exercitum e navibus eduxit, cujus summus erat Imperator Comes de Montemar, cui Carolus Proregis etiam dignitatem contulerat. Senatus illico Panormitanus Legatos ad castra misit, qui urbis deditionem exhiberent, quos cum Montemarius peramice excepisset, sequenti die, postrema ejusdem mensis, cohortes nonnullæ Regis Panormum ingressæ statim Palatii custodiam suscepere, et mox omnis exercitus venit; atque extra circa agrum Malespinæ castra posuit: recepto fidelitatis tributo a Panormitanis, debellataque arce, copias per reliquam Siciliam Montemarius misit, cceteraque Castella Regni Carolo Principi brevi tempore subegit.

Ita Carolus Augustus Austriacus Neapolitanum, et Siculum Regna per-

(3) *Ut veritati obsequamur, hoc loco Burignium gastigandum ducimus, qui (Hist. de Sicile P. II. Liv. XI. §. XVI.) scripsit Proregem hunc donum decies centenorum, et tercentum millium aureorum ab Ordinibus postulasse, immo vi eosdem coerciturum, nisi obtemperassent, minatum esse, aspera vero ejus verba universalem excitasse indignationem, quæ sopiri minime potuit; Hispanorum enim propinquitas, ait, Siculos reddebat audentiores. Germanæ hæ gerræ sunt, Prorex præter id, quod diximus, nihil ultra eo in colloquio petiit, immo donum, quod consuetum est, quando Ordines Regni convocantur, Proregi offerri, generose recusavit.*

perdidit, et partem quoque Mediolanensis Ducatus, quæ Carolo Emmanueli Sardiniæ Regi adjudicata est. Anno deinceps 1737. cum Moscoscythicis fœdus adversus Turcas iniit, sed cum inter vivos non amplius ageret Princeps Eugenius de Sabaudia, cujus virtute Austriaca arma Mahumedanis formidabilia fuerant, qui ejus vices exercitus Duces electi fuere trium annorum spatio, quo bellum perduravit, sive quod in militari palæstra non essent admodum instructi, vel quod secundam minime experti sint fortunam, Austriacam rem male administrarunt, Aquilamque Imperialem vilipendi pertulerunt, ut opus Carolo fuerit, duras a Turcis conditiones, ut pacem nancisceretur, anno 1739. subire. Sequenti deinde anno animi ægritudine oppressus Vindobonæ die 20. Octobris optimus hic Princeps anno ætatis quinquagesimo quinto obiit. Dignus sane meliore sorte, erat enim virtutibus ornatus, liberalis, mitis, clemens, justitiæque amator. Quod Itali, et Siculi præcipue durum ejus jugum passi sunt, id non vitio Augusti Imperatoris accidit, sed Ministrorum, quibus utebatur perfidia, et distantia, quæ Curiam Vindobonensem, et Italicas regiones intercedebat, ob quam populorum querimoniæ vel ad justi Augusti aures numquam, vel domesticorum sermonibus adulteratæ pertingebant (4).

(4) *Exemplo sit factum Comitis de Quiros, qui a Secretis Proregi erat, de quo ferebat fama nullam non tentasse viam, ut ditesceret; cum enim apud Proregem summa in æstimatione esset, nihil nisi ejus arbitrio fiebat, quapropter dignitates, et Ministrorum officia venundabat, beneficia iis, qui plus obtulerant, conferri curabat, et quod invisum præ ceteris eum reddidit, Astreæ lances, nam*

. . . . Quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames?

persæpe infregit. De hujus manifestis furtis conquesti frequenter fuerant Siculi, sed frustra; eorum postulationes, ne ad Imperialem Solium pertingerent, diversis obstaculis impediebantur. Tandem anno 1731. forte fortuna Augusti Caroli aures penetrarunt, qui de eo indignatus Comiti de Sastago statim præcepit, ut prædonem hunc ipsius etiam Proregis existimationem denigrantem e Sicilia expelleret.

DE CAROLO BORBONIO

III. (1) HISPANIÆ, ET SICILIÆ REGE.

POstquam Sicilia universa Montemarii opera Carolo Borbonio Regi subacta est, tribus tantum exceptis Arcibus, Messanensi videlicet, quam Princeps Lobcovitzius vir strenuissimus defendebat, Syracusana, cui præerat Romius, et Drapanensi, cujus custos erat Comes de Carrera, placuit Serenissimo huic Principi ad nos venire, ut tam perantiquum, et sua vetustate celeberrimum Regnum perlustraret, et in ejus principe Urbe Rex inungeretur, Regioque cingeretur diademate. Paratis hinc omnibus, quæ tanti Principis itineri pernecessaria erant, Neapoli Februario anni 1735. egressus est, et Calabriam permeans Rhegii stitit. Lobcovitzius haud valens obsidionem substinere ab Comite de Marsigliac, qui rem militarem Messanæ gerebat, unius mensis inducias postulaverat, quo elapso temporis spatio, nec Augusto Carolo VI. auxilia eidem subministrante, se arcem Hispanis redditurum declaravit, modo cum honoribus debitis militibus, qui fortiter se gesserunt, Theutonicis eam linquere fas esset. Hæc cum ita essent, Carolus eam in Urbem venit septimo Idus Martii, et in Monasterio Ss. Salvatoris Ordinis Sancti Basilii mansit. Vicesima quinta deinde ejusdem mensis die externa ejus Arcis Valla consignata Hispanis sunt, atque pridie Kal. Apr. Arx ipsa in eorum manus venit.

Egressis Messana Cæsareis Copiis Carolus Regium Palatium, inhabitatum venit, ubi Oratores Panormitani Senatus gratiose excepit, seque quamcitius Panormum profecturum spopondit. Ægre ferebant Messanenses Regem ad suscipiendam Regalem Infulam velle in Urbem principem proficisci, conatique sunt pro viribus ab hoc proposito eumdem revocare, atque eidem suadere, ut in eorum Civitate Regio Serto cingeretur; sed justissimus Princeps noluit vetusto privilegio Panormum Urbem privare, tenaxque in animi sententia

---

(1) *Hunc tertium cum Hispanis, et Neapolitanis dicimus, quamvis si inter Reges Siciliæ Carolus Andegavensis, et Augustus Carolus Austriacus computentur, esset quintus nuncupandus.*

tis permansit. Quamvis vero injustæ huic Messanensium postulationi obstiterit, eorum nihilominus Patriam privilegiis auxit, eam a gravibus quibusdam vectigalibus solvendis liberavit, Senatum ad priora jura Civici administrandi patrimonii restituit, ad augendam negotiationem ejus portum liberum declaravit, primoresque Civium Equites Clavi aurea ornavit, suosque familiares constituit.

His beneficentiæ monumentis Carolus vetustam, et magnificam Messanam exornans, ibique per duos circiter menses moratus XVI. Kal. Jun. deseruit, et triremem conscendens vela Panormum versus direxit, quo post biduum pervenit, eoque die incoluit ædes, quas prope Portam Jesuitæ tunc possidebant, nunc vero destinatæ sunt, ut in illis effrenati juvenes, quousque corrigantur, sub aspero regimine custodiantur. Sequenti die private in Urbem ingressus ad Regium Palatium se recepit. Vix enarrari oratione potest gaudium, quo Panormenses gestierint, cum secum inhabitantem tam carum, et amabilem Regem inspexerunt, qui statim simulacrum Philippi V. ejus patris, quod ingressis anno 1720. Theutonicis, e loco, ubi erectum erat, Ducis de Monteleone jussu amotum in immundo cubiculo officinæ nummariæ inhonoratum jacebat, denuo erigi curarunt, quod tertio Idus Junii perstrepentibus bellicis castrorum tormentis, factum est, sollemnique pompa præpararunt, quæ publico Regis ingressui, ejusque faustæ Coronationi pernecessaria viderentur. Sacræ interim Virgines Regem videre cupientes eumdem rogarunt, ut ad ipsarum cœnobia venire dignaretur. Non renuit clementissimus Princeps earum votis obsecundare, quæ Caroli majestatem juxta atque comitatem, et modestiam miratæ sunt.

Dum ita singulorum amorem ad se trahebat humanissimus Rex, Syracusana Arx Kalendis Junii in manus Petri de Castro Fiqueroa Gratiæ Regalis Marchionis, qui eam Caroli nomine obsidebat, venit; quæ res ingenti lætitia Carolum affecit, qui hac capta occasione Primores inter Cives Panormitanos ad numerum novem et viginti ad Equestrem ordinem Aureæ clavis promovit, duosque sibi Consiliarios Aulicos elegit, Comitem Sancti Stephani, et Palagoniæ Principem, qui ambo Panormitani erant; Comes enim de Sancto Stephano, tametsi ex Hispana familia esset, Panormi nihilominus natus erat, quando Franciscus Bonavides ejus pater Proregia dignitate Siciliam moderabatur. Iis præterea, quos Comes de Montemar exilio mulctaverat, quod sciret eos Theutonicis favisse, singulari benignitate ignovit, atque ut ad propria redirent, permisit.

Pa-

Paratis interea omnibus pro publico Regis ingressu, celebrata hæc sollemnitas est pridie Kalendas Julii, qua die Carolus in suburbanum agrum, cui S. Erasmi nomen inditum est, venit, et in tentorio sedens, postquam Michaeli Brancifortio, qui militaris Regni Ordinis Princeps erat, Regium vexillum tradidit, equo conscenso, præcedentibus Regni Ordinibus, Ministris, atque Regiæ Aulæ Cubiculariis, et familiaribus, per viam Toletanam ad Templum Maximum pervenit, atque ab Archiepiscopo cum Clero honorifice exceptus est, quo hymnum Ambrosianum præcinente, recitatisque præscriptis ab Ecclesia precibus, Rex in solio sedit, atque a singulis Ordinibus fidelitatis juramentum recepit; atque ipse lubenter se Regni privilegia, consuetudines, et leges servaturum pari jurejurando spopondit. Quibus peractis, veneratisque sacris Divæ Rosaliæ ossibus, equum iterum ascendit, et recta ad Regale Palatium, iisdem, quorum meminimus, comitantibus venit, populo *Io* canente. Ibi solio denuo insidenti a Buteræ Principe vexillum restitutum est, quod Rex ipse, ut fieri semper consuevit, eidem donavit.

Adventante vero tertio Julii, jam cunctis ad Coronationem præparatis, mane ejus diei innumerus ad maximum Templum Civium, et exterorum concursus factus est, ut sollemnitati tam vetustæ, Regis nempe inunctioni, tamque infrequenti adessent. Carolus nobili rheda vectus ad Ecclesiam veniens, postquam in parato cubiculo Regalibus vestibus indutus fuit Archiepiscopo Panormitano præsens sistitur, ut sacro oleo inungeretur, quæ inunctio, prævia fidei professione, ceterisque orationibus, et precibus, dextero brachio, scapulisque adhibita fuit. Cum vero res divina fieri cœpisset, postquam recitata Epistola est militaris cingulus, et ensis eidem traditi sunt. Postquam gladium districtum ter per aera vibrasset, in vaginam reposuit, et adgeniculatus Consecratori, diadema in capite, et sceptrum in manu dextera ab eodem recepit, ab eoque in Solium ductus est, ibique sedit, ut actus compleretur, qui *inthronizatio*, sive collocatio in Throno appellari solet. Post hæc cum res divina perfecta esset, tredecim majora numismata, aliosque nummos aureos ad Altare obtulit, sacroque Eucharistico pane pastus est, et rhedam denuo conscendens coronam gestans in capite, et sceptrum manu tenens, ad Regias ædes inter civium plausus rediit.

Ut exhilarati tam amabilis, et benigni Principis præsentia, totque sollemnitatibus sunt Panormitani, ita, cum extrema gaudii luctus occupare soleat, ad proximum Caroli discessum haud levi mæsti-

stitia affecti sunt, non quod arbitrarentur Regem, ut olim, Panormi perpetuo mansurum, sed quod molestum eis acciderit, caput adeo carum tam cito amittere. Postquam itaque publicas Deo egit gratias, quod Castra ad littora Etruriæ posita, quæque in manu Theutonicorum erant, sua jam insignia, Montemario copias ducente, erexissent, septimo Idus Julii dolentes Siculos relinquens e portu egressus est, ut Neapolim rediret (2). Paucis a Regis discessione diebus, die scilicet ejusdem mensis decimo septimo, Castrum Drepanitanum, quod a nostris obsidebatur, se dedidit, eaque ratione nil reliquum in Sicilia a Germanis possessum est.

Missis quæ in Italia bellantes inter Principes gesta sunt, nec enim nostrum institutum respiciunt, ea tantum enarrabimus, quæ in Siciliæ bonum optimus Princeps peregit. Vix Carolus Neapolim pervenit, statim de Regno nostro juste, et recte moderando cogitavit, et ut citissime negotia ad Sicilienses spectantia expediret, Tribunal constituit, quod *Juncta* nuncupatum est. Voluit autem ut eidem Dynasta Siculus præesset, quem suum Consiliarium constituit, eo-

(2) *Temperare hic nobis minime possumus, quin munifici hujus Regis clementiam, egregiumque factum commendemus. Erant Panormi in Regis ædibus duo ænei Arietes, qui adhuc ibidem exstant, quos Græca manu confectos antiquitatis studiosi arbitrabantur. Ferunt ad Hieracenses Comites olim pertinuisse, et in eorum Palatio, quod in Castellobono exstat, fuisse collocatos, deinde Regio Fisco fuisse addictos, et in Aulam Regiam translatos. Cum Carolus Panormum venisset, visum est nonnullis Aulicis, præclarum hoc monumentum exornando Neapolitano Palatio esse opportunius, et Rege vel inaudito, vel saltem rem minime considerante, præceptum est, ut Navi Anglicæ Arietes prædicti impositi Neapolim transferrentur, idque statim peractum est. Displicuit sane Patriæ amatoribus re tam vetusta, quæque a viatoribus studiose observabatur, Panormum privari, sed cum ad Regem pertineret, et Regis esset, occulte tantummodo dolebant. Eorum angor forte fortuna ad Caroli aures pervenit, qui nolens hanc ob caussam Panormenses tristes esse, etiamsi Arietes jam Neapolim translati fuerint, præcepit, ut navi iterum imponerentur, et Regio Panormitano Palatio restituerentur: qua Regis benignitas quam lætos Panormitanos reddiderit, unusquisque intelliget.*

eo consilio ut de rebus ad Siciliam pertinentibus Regem conscium redderet. Quatuor quoque Jurisperitos, duos ejusdem nationis, duos Neapolitanos elegit, jussitque eis inservire Epistolarum Magistrum, qui eorum vota conscriberet, et Consultationes Regi proponendas componeret. Primum ipse elegit Præsidem, voluit autem, ut in posterum Regni Procuratoribus jus esset, quando novus esset creandus Præses, tres Dynastas nominare, et Regis esset quem vellet, ad hanc dignitatem promovere (3). Quatuor quoque legiones peditatus, et equitatus in Sicilia instituit, ut militiam exaugeret, Hispanæ enim copiæ ferme omnes in Picenum, bellum gesturæ, recesserant, voluitque, ut eorum Tribuni Siciliæ Dynastæ essent: et ut cetera linquamus immoderatum luxum, et maxime in re mortuaria per Pragmaticam legem compescuit anno 1736., quæ tametsi Regularibus Ordinibus, et Clero gravis visa fuerit, in familiarum nihilominus, et præcipue nobilium utilitatem maximam redundavit.

Cessatum tandem in Italia anno 1737. a bellicis actionibus est; non sine Philippi V., et Caroli III. damno. Ludovicus enim XV. Gallorum Rex a fœdere recedens cum Cæsare de pace egit: atque inter eos convenit, ut Etruria cederet, statim ac Joannes Gastonius obiret, Francisco Lotharingiæ Duci, Lotharingia vero, ejusque titulus Stanislao Leszozinskio olim Poloniæ Regi, quoad viveret, tribueretur, eoque mortuo Gallico Imperio adhæreret, Parmæ quoque, et Placentiæ Ducatus cum Mediolanensi Principatu Cæsari restitueretur, Regi tandem Sardiniæ facultas impertita est, ut binas, quas ipse vellet in Mediolanensi ditione Civitates, suo dominio subjiceret. Hæc sane injusta partitio, quantum Ibero, et Neapolitano Principibus, (quorum alter juribus omnibus, quæ in Italiæ Provincias habebat, exspoliabatur, alter vero successione Medicea exuebatur, maternamque hereditatem, cujus possessione jam fruitus erat, amittebat) displicuerit, non est opus, ut pluribus indicemus. Scilicet a fœderatis derelicti, nec satis viribus instructi, ut sua defendesent, ingratiis ea sibi diripi tulerunt, futurum tempus sperantes, quo me-

(3) *Præses, quem primo elegit, fuit Ferdinandus Franciscus Gravina Palagoniæ Dynasta, quem sibi jam consiliarium constituerat, qui tamen ætate gravatus e vivis excessit, antequam posset Neapolim, ad eam occupandam dignitatem pergere.*

meliore fortuna eis favente primæva jura vindicare possent.

Interea Carolus cum vicesimum primum ætatis suæ attigisset annum, nupsit anno 1738. Mariæ Amaliæ Walburgi Friderici Augusti Tertii Saxonum Electoris, atque Poloniæ Regis filiæ, ornatissimæ Principi, quæ Neapolim X. Kal. Jun. pervenit, cujus ob faustum adventum in utroque Siciliæ Regno complures acti sunt festi dies. His celebratis nuptiis, cum pax tandem Vindobonæ firmata fuerit, qua Carolus noster legitimus horum Regnorum Princeps, et maritimorum Etruriæ Castrorum Dominus ab ipso Cæsare agnitus est; Rex noster animum ad promovendum commercium intendit, quod perennis divitiarum fons, nemine Politicorum dubitante, est, et ob eam rem in Sicilia, ubi frequentior negotiatio est, anno 1730 Supremum quoddam Tribunal erexit, cui unus e Dynastis præesset, et adstarent etiam Regiæ conscientiæ Præses, sexque ministri, quorum tres e Nobilium ordine, tres vero e Jurisperitorum cœtu eligerentur, constitutionibus in eo servandis pragmatica Sanctione præscriptis; et præterea subsequenti anno inferius aliud Tribunal Panormi, hujusque similia in maritimis civitatibus erigi voluit, primo subjecta, a quibus minores caussæ tractarentur, quibusque *Consulatus maris* nomen inditum fuit. Neapolitano vero in Regno leges alias tulit, mercaturæ amplificandæ perutiles. Cum vero novisset commercium in utraque Sicilia jam tum defecisse, cum Hebræos Ferdinandus II. Catholicus nuncupatus, suis e Regnis expulit, hos in eadem Regna, quibusdam propositis præmiis, revocavit. Qui cum primum Neapolim pervenissent, ab ignaro, bardoque populo (Mercatoribus Christianis clanculum odium excitantibus, ne quas capiebant cotidie utilitates imminuerentur) injurias, contumelias, minasque, nisi ad sua redirent, passi sunt, ut necesse eisdem fuerit, ne pejora ferrent retrogredi, et in alias regiones migrare. In Siciliam, quod scimus, infelix hæc natio ea tempestate non pervenit.

Anno vero eodem 1740. fatis cedente Carolo VI. Imperatore, ad bella iterum ventum est. Philippus V. Hispaniæ Rex, tempus advenisse reputans, quo posset Italas provincias recuperare, exercitum validum triginta millium hominum paravit, atque a Carolo nostro ejus filio petiit, ut duodecim mille milites in ejus auxilium mitteret, et conjunctis viribus adversus Austriacos arma moverent. Quamvis enim Pragmaticam Sanctionem adprobasset, per quam Theresia demortui Cæsaris primogenita heres regnorum declarabatur, contendebat nihilominus eam extra Germaniæ fines non extendi,

 se-

seseque, ut qui per feminas ex Austriaca stirpe proximus prodiisset, succedere in Italicis regionibus, quæ mares lege Salica ad hereditatem vocabant, feminasque excludebant. Annuit Patris votis Carolus rex, collectasque copias ad Scultennam usque flumen destinavit. Sed brevi ad eas revocandas adactus est Georgii II. Anglorum Regis opera, qui Reginæ Theresiæ opitulatus, classem Neapolim versus destinaverat, comminatus suos tormentis eam Urbem quassaturos, nisi statim militiæ ad Hispanos missæ repeterentur, quod a Rege imparato fieri decuit, ne Civitatem sibi caram arrogantium Anglorum vindictæ exponeret.

Tot interim rerum discriminibus dum angeretur Regis animus, novæ ecce ærumnæ adveniunt, feralis scilicet pestis Februario mense anni 1743. Messanam aggreditur, finitimaque oppida, quæ medicorum, et civium, qui contagionem esse præfracte denegabant, pervicacia profundas adeo radices egit, ut ad Septembrem usque mensem perduraverit, et quamvis confinia Messanensia non fuerit egressa, ex subducto tamen calculo quadraginta tria millia sexcentum sexaginta quinque habitatorum extinxerit. Quæ clementissimus Rex egerit, ut eam Urbem, universamque Siciliam hoc morbo liberaret, longum esset indicare; certe vectigalia, medicamina, milites, medicos, chirurgos, ut misellæ Civitati opem afferret, statim perferri jussit, nec sumptibus parcens, Petrum Polonum medicum peritissimum, qui Venetiis morabatur, arcessivit, cui mandavit, ut selectis, quos aptiores reputaret, Messanam iret, ubi jam pestis cessaverat, eamque prout Venetiis mos est expurgaret diligentissime, quo omnis iterum pullulandi timor abigeretur. Inde factum est, ut sublatæ custodiæ sint, libereque per totam Siciliam cœperint Messanenses conversari mense Majo proximi anni 1744.

Infidum Martem experti fuerant Iberi, postquam Neapolitani ab exercitu recesserant, eorumque Imperator Gagius viribus impar, cum ingentes hostium turmas in singulos dies e Germania advenientes sustinere minime posset, sensim cum suis recedebat prementes insequentesque fugiens Austriacos, et in regni Neapolitani confinia se recepit, singularem eo in receptu militarem scientiam ostendens. Hæc cum perlata ad Carolum essent, novit vigilans rex, suam agi rem, si Hispanus exercitus pessum iret, ac Theutonici in suas ditiones ingrederentur; quapropter quid sibi agendum esset serio cogitavit, cunctisque perpensis, tametsi nonnulli suorum contradicerent, tentandam fortunam statuit, atque hostibus statim occurrendum. Relicto

licto itaque Neapoli cum Proregis titulo, et auctoritate Michaele Regio Panormitano, S. Joannis Hierosolymitani Equite, et Regiarum Triremium præfecto, qui dulces suos ob mores Neapolitanorum delicium erat, et Regina cum liberis in Cajetanam urbem tutissimam transferri jubens, Neapoli VIII. Kalendas Aprilis anni MDCCXLV. egressus est, et primo ad Castellum Sangri cum exercitu venit, deinde re melius examinata ad Sangermanense oppidum se recepit, ubi Hispanis, Neapolitanisque ducibus ad consilium vocatis perpensum est, an opportunius esset hostes ibidem opperiri; an vero esset extra fines Regni eisdem occurrendum: multis in contraria pugnantibus vicit tandem Gagii sententia, qui Regni securitati, Regisque dignitati convenientius arbitratus est obviam ire. Recedens itaque Rex a Sangermano, Anagniam venit, quo Hispanus exercitus suis legionibus conjunctus est, ibique castra metatus est. Inde Valmontonium profectus est, audiensque, quo pergeret itinere Lobcoviczius, cui summa belli Maria Theresia Hungariæ Regina crediderat, Velitras occupandas statuit. Quæ acta inter adversos exercitus ea in Urbe, et in ejus confiniis fuerint, eloquenter scripta jam fuere a Castrutio Bonamico (a). Illud unum nobis adnotandum superest (nec enim cuncta persequi vacat) Regem Carolum, Franciscum Atestinum, Mutinensium Ducem, aliosque Illustres nobilitate, et virtute milites repentina, nec a nostris prævisa hostium incursione pridie Idus Sextilis mensis, vitæ, vel libertatis saltem periculum subiisse; vereque ipsi cecidissent, vel fuissent vincti, nisi Iberorum, Hibernicorum, Macedonum, et quod mirari subit, Provincialium militum virtute propulsati hostes fuissent, et ad fugam capiendam redacti.

Hæc sane dies luctuosa utrique exercitui fuit, in quibus primores inter duces desiderati, præter ingentem militum numerum, qui mortui sunt, vel vulnerati; sed victoria Carolo Regi mansit, nemine contradicente, nam et ipse cum suis, in propriis castris perseveravit, et Austriaci omni demissa spe acquirendi, ut jactabant, Neapolitani Regni, fugientes ad tentoria redierunt, ubi cum duobus mensibus nihil agentes consederint, tandem Lobcoviczius receptui consulens pridie Kalendas Novembris noctu tacite castra movit, et a Velitrarum confiniis recessit. Rex autem Carolus celeriter fugientem

(a) *In libro de Rebus ad Velitras gestis.*

tem Romam usque insequitur, ibique facta Gagio persequendi hostes venia, Pontificem maximum Benedictum XIV. salutat, urbis tam conspicuæ celebrinra loca lustrat, et ad sua rediens, recepta Regina, et liberis, Neapolim victor ingreditur, populosque de eo sollicitos lætos sua præsentia reddit.

Abactis a Regno hostibus, quos Gagius eum Gallo-hispanico exercitu insequebatur, Carolus curas omnes eo convertit, ut suorum felicitati consuleret, Regiamque Neapolitanam urbem artium, scientiarumque adminiculis illustriorem redderet, superbisque ædificiis exornaret. Quod ad nos pertinet, digna observatu sunt novi supremi Magistratus, quem *salutis* appellant, institutio, sive maris reformatio, ut in posterum omnis contagionis abigeretur metus, quem voluit Panormi residere, ceterisque minoribus ejusmodi magistratibus ad servandos a peste populos in maritimis civitatibus delegatis præesse, atque novum Tribunal, quod ad evitandas circa vectigalia fraudes anno eodem erectum est (*b*). Dum hæc, et alia ageret, summo animi dolore angitur; Philippus V. ejus Pater, quem tenerrime amabat, VII. Idus Julii Matriti moritur, cui successit Ferdinandus Asturiarum Princeps, quo ad pacem inclinante, immutata in Italia belli facies est. Interim, cum recedentibus Gallis, Austriacus exercitus in Italia adhuc esset, excitatur a suis Hungariæ Regina, ut Regnorum utriusque Siciliæ acquisitionem denuo tentaret. Nos sane fuissemus novo bello impliciti, nisi Angli, quorum intererat arma in Gallos movere, fortiter restitissent. Cautum nihilominus et horum Regnorum conservationi a Ferdinando Ibero Rege, qui licet a bellicis actionibus natura alienus esset, fratris tamen patrimonium custodire voluit, ideoque complures legiones Neapolim misit.

Parum abfuit, quin bellum, quod forinsecus evaserat, domi Carolus sustineret, quando Cardinalis Spinellius Archiepiscopus Neapolitanus Sedi Apostolicæ obsecundans Tribunal Quæsitorum, alio nomine *Tribunal* videlicet *Sanctæ fidei*, sed eadem forma Neapoli introduxerat. Verum prudentia Principis in ipsis incunabulis nascentem seditionem suffocavit, quæ acta jam erant rescindens, novi Tribunalis ministros exilio mulctans, atque Archiepiscopi auctoritatem

tem

(b) *Sic. Sanct. T. II. Tit. VI.*

tem certis limitibus constringens; frustra contra adnitente Romana Curia, ipsoque Spinellio, qui Romam petiit, ibique Pontificatum Neapolitanum abdicavit. In Sicilia eadem tempestate negotiationis, quam *frumentariam* vocitant, abusibus, qui jamdiu irrepserant, et insequenti anno 1748. caritati, quæ Regnum vexabat, Carolus Proregis Laviofuilli opera occurrit. Interim Aquisgrani pax bellantes inter Principes concluditur XV. Kalendas Novembris, cui etiamsi Rex noster per suos Legatos non interfuerit, lætatus nihilominus est, cum Infantem Philippum fratrem in Ducatibus Parmensi, et Placentino collocatum audivit. Anno huic proximo, nempe 1749. Melita Insula, et universus Equitum Sancti Joannis Hierosolymitani Ordo pene perierant ope *Mustafà* Turcarum præfecti Rhodi Gubernatoris, quem in vinculis Equites illi tenebant, qui ad sua vota trahens *Ismelethum* Magistri Ordinis Cosmetam, ceterosque vinctos Mahumedanos, qui Melitæ erant, et mille, et quingentum numero exsuperabant, conjurationem machinabatur, ut sacro Divo Joanni Baptistæ die Equites omnes trucidarentur, captaque Insula Orientis Imperatori traderetur; sed Deo opitulante cujusdam Tabernarii auxilio, cui revelata fuerat, detecta conspiratione Insula, et Equites Melitenses a periculo fuerunt erepti.

Sed Melitenses anno 1754. pejora passi sunt, cum Regium Visitatorem, Episcopum nempe Syracusanum, quem Rex, cujus eam in Insulam, et Ecclesiam jus, ut ajunt, *Patronatus* indubium est, ibidem ad corrigendos abusus miserat, recipere abnuerunt; interdicta enim eis fuit communicatio omnis cum Siciliæ Regno, unde alimenta petere solent, bonaque omnia, quæ in utraque Sicilia possidebant, fuere fisco adjudicata, nec parsum eis fuit, nisi anno 1755. officiis precibusque Benedicti XIV. Ecclesiæ Catholicæ moderatoris, quem Carolus eximie diligebat, et venerabatur et accedente veluti sequestre rege Christianissimo. Post hæc superbus Ætnæ mons Catinam, ejusque vicinias terrefecit Martio mense anni 1756., quo præter consuetos ignes, et lapides, ingentes (quod rarissimum in eo fuit) aquarum torrentes evomuit; qui alio anno 1757., etsi nec igneos, neque aqueos eructaverit vortices, adhuc tamen fremitibus et subterraneis rumoribus circum habitantes plures per menses terruit. Hoc eodem anno currente Septembri mense terra omnis per Siciliam universam mota est, et potissimum Syracusis, ubi plura cecidere, vel conquassata sunt ædificia; sed divina bonitate factum est,

est, ut nihil damni hominum vitæ illatum fuerit, cum singuli opportune e Templis, et domibus essent egressi.

Mortua Maria Magdalena Hispaniarum Regina, Ferdinandus ejus vir, qui eam deperibat, gravem adeo cordis dolorem sensit, ut animi mœrore, qui familiaris Hispanorum regibus morbus est, affectus, Matritum, et societatem hominum effugiens, rus, quod *Villa vezzosa* nuncupatur, cum Serenissimo Aloysio fratre tantum se contulerit, nec quidpiam amplius agere voluerit. Mæstitia in dies increbescente, nuncii per Aulas Principum cursitabant; quamvis enim Carolus noster indubius Regnorum Hispaniæ esset heres, periculum nihilominus imminebat, ne propter Regna Siciliæ, et Neapolis bellum ingrueret; hæc enim Philippo Parmensi Duci, ejusque heredibus anno 1748. adsignata fuerant in conventione Aquisgranensi, cui tamen Carolus semper subscribere recusaverat. Quæ egerint Europæ Principes, dum Ferdinandus infirmitate tam gravi opprimebatur, ignotum nobis est; id tantummodo scimus, defuncto hoc Rege IV. Idus Augusti 1759. nihil in Europa fuisse innovatum, cunctaque in ea, in qua fuerant, tranquillitate mansisse.

Cum hujus mortis nuncius Neapolim esset delatus; Carolus, postquam amare Ferdinandi interitum flevit, de celeri profectione in Hispaniam, ubi populi annum sine Rege fuerant, cogitavit, ut gravissima, quæ suspensa manserant, expediret tot Regnorum negotia. Antequam vero proficisceretur, diligenter perpendit, cuinam Regna utriusque Siciliæ a se acquisita concederet, unique ex filiis, quos ei Regina Amalia genuerat, linquenda constituit. Naturalis lex expostulabat, ut Philippo primogenito, ad quem Principatus Asturiarum, et in Regnis Hispanicis successio pertinebat, secum ducto, Carolus secundo natus Rex Utriusque Siciliæ declararetur; verum Philippus epilepsiæ morbo ab incunabulis affectus adeo stupidus erat, ut sui impos animi ab omnibus haberetur, nec regendis populis esset idoneus, nec uspiam, quantacumque diligentia adhibita fuerit, rectæ mentis argumenta dederat. Carolus itaque, ut caustissime se gereret, quosdam selegit viros, prudentia, et intelligentia conspicuos, nonnullosque doctissimos Jurisperitos, et celebriores medicos, quibus mandavit, ut viso, et audito Philippo ejus filio, ejusque actionibus ad amussim perpensis, judicarent, num rationis compos esset, aut esse umquam posset, an vero penitus demens; quorum cum unanimis fuisset sententia de Principis insania, mentisque defectu, ob Philippi probatam jam dementiam, ad jura primogeniti Carolum secundo na-

natum vocavit, quem Asturiarum Principem declaravit, tertiumque inter mares filium Serenissimum Ferdinandum Regem nostrum Utriusque Siciliæ constituit, atque hanc sententiam in frequenti Dynastarum, Ministrorum, populorumque concursu, solio cum Ferdinando in Aula Regia assisus, legi jussit II. Nonas Octobris, ejusdem anni 1759., et per acta Protonotarii regii publicari.

Hisce peractis, constitutisque infantulo Regi Consiliariis, quibus ejus tutelam, Regorumque curam gratiosis verbis commendavit, eadem die cum parata Hispanica classis esset, navim cum uxore, reliquisque filiis (Philippo excepto, quem Neapoli cum Rege fratre reliquit) conscendit, flanteque Euro Neapolitana littora deseruit, et Barcinonem profectus est, deindeque Matritum, ubi vixit delicium populorum, vivetque ejus memoria æternum in Hispanorum cordibus.

Parcat vero ingenuus lector, si de hoc Principe tam humano, tam clementi, tamque justo, et in promissis servandis tenaci, et in quo Majestatem cum Comitate conjunctam admirari licuit, plura, quam de ceteris conscripserimus; sciatque pauca hæc admodum esse, si ad præclaras, et innumeras res ab eo pro bono utriusque Siciliæ gestas (4), atque ad ea, quæ postea in Hispaniarum emolumentum, quoad

(4) *Ex quo Carolus Neapolitani Regni sceptrum suscepit, Neapolitanæ Urbis licet pulcherrima facies in melius immutata est; artes vel noviter introductæ, vel perfectiores redditæ, scientiarum cultus, et præmia iis, qui easdem profitebantur, designata, effossi e sepulta Herculani Urbe thesauri, Academia ad eos illustrandos instituta, superba ædificia sive Musis, sive Regibus parata, innumeraque alia, quæ Neapolitani Scriptores enarrabunt, studium hujus Regis satis indicant, ut princeps Regni ejus civitas fieret illustrior. Nec Regni Siciliæ oblitus est, quamquam longe abesset; præter enim ea, quæ opportunis locis adnotata a nobis sunt, non levis momenti et alia bona nobis procuravit, interque ea præcipue adnumerandum beneficium est semper a nobis optatum, sed numquam concessum, quod cum vix Regni habenas suscepisset nobis impertivit, ut nimirum dignitates omnes Ecclesiasticæ, unico excepto Archiepiscopatu Panormitano, non amplius exteris, sed unis Siculis conferrentur. Scientias quoque promovit, Academias in Regno nostro institutas patrocinio suo fovit, atque ut Civium honestorum filii in scientiis, atque in disciplina morum, æque ac nobiles (pro his enim duo collegia*

quoad vixit, egit, conferantur, ut mirum nemini esse debeat, si de ejus discessu, et interitu Neapolitani, Siculique indoluerint, eique, postquam e terris sublatus est, a Deo optimo Maximo beatitatem in cœlo adprecentur. Obiit autem Matriti decimonono Kalendas Januarii anno 1789. cum septuagesimum ætatis annum non adhuc complevisset. Non aliam præter Mariam Amaliam, de qua diximus, duxit uxorem, qua mortua V. Kalendas Octobris anni 1760. tametsi florenti esset ætate, vix enim quadragesimum quartum excesserat annum, noluit ad secundas transire nuptias, viduumque statum servavit. Habuit autem ex filiis per eam genitis, præter Philippum de quo loquuti sumus, Carolum Antonium, qui Hispanica sceptra nunc tenet, patrisque virtutem æmulatur, Ferdinandum dulcissimum Regem nostrum, Gabrielem Antonium, qui patri paulo ante hujus interitum, præmortuus est, et Antonium Paschalem, qui Matriti vivit, mares; ex fœminis vero, quæ supervixerunt (reliquæ enim jam fatis cesserant) Mariam Josepham, quæ apud fratrem Carolum IV. Regem Catholicum remansit, et Mariam Aloysiam, quæ nupta Leopoldo tunc Magnæ Etruriæ Duci, modoque Hungariæ, Bohemiæque Regi, et Occidentis Imperatori, cum eo Vindobonæ vivit Imperatrix ipsa, et Regina.

---

legia erecta antehac sub Carolo VI. Augusto fuerant) instruerentur, tertium sub cura Clericorum Scholarum, *ut ajunt,* Piarum *erigi Seminarium decrevit. Ad liberandam etiam, ut reliqua omittam, Urbem principem a molestis pauperibus, nobile ædificium extra mœnia eisdem recipiendis ædificari jussit, cujus ob constructionem quinque millia aureorum ab Ærario suo solvenda annuatim adsignavit. Centena alia Siciliæ profutura peregit, quæ brevitati consulentes tacemus, majora facturus, si diutius nos gubernasset. Reliquit autem nobis sui imaginem in Ferdinando filio, qui Patris incepta perfecit, aliaque ad ornamentum Regnorum, et scientiarum artiumque culturam aggreditur, quæ seris nostris nepotibus commemoranda relinquimus.*

F I N I S.